



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:3-33809/fragment/page=0001

Nr. 1





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:3-33809/fragment/page=0003



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:3-33809/fragment/page=0004

F R I D E R I C I   R E H M

N E V K I R C H O - H A S S I

# HISTORIA PRECVM BIBLICA

I N

P V B L I C V M   C E R T A M E N   C I V I V M

G E O R G I A E   A V G V S T A E

S C R I P T A

E T

A B   A M P L I S S I M O   T H E O L O G O R V M   O R D I N E  
P R A E M I O   R E G I O   O R N Ä T A.



---

Αλλαὶ χρέως ζητεῦντες ἐφευρίσκεσσιν ἀμείνον.

XENOPHANES.

---

G O T T I N G A E,

E   L I B R A R I A   V A N D E N H O E C K I O - R U P R E C H T I A N A.

M D C C C X I V.



BRIDGES  
SCHILLER ARIE  
SCHILLER MUSICAL  
A PARIS  
**KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE**

77  
397.  
Kath.



---

## C O N S P E C T U S.

---

PROOEMIVM. De variis, quae in sacro codice plurime  
leguntur, precum nominibus. . . . . Pag. 1 - 12

PARS PRIMA. Historia precum apud Hebraeos ante  
Christum. . . . .

§. 1. Aetas Patriarcharum. . . . .	13	38.
§. 2. Moses. . . . .	15	
§. 3. Josua et Judices. . . . .	18	
§. 4. Samuel, David, Salomo eorumque aequales	22	
§. 5. Prophetae. . . . .	29	
§. 6. Tempus inde a reditu ex exilio usque ad Jesum Christum. . . . .	34	

PARS SECUNDA. Jesu Christi et Apostolorum de pre-  
cibus doctrina. . . . .

38 - 98

CAPUT PRIMUM. Jesus Christus. . . . .

38 - 64

§. 7. Exempla precum a Jesu Christo fusarum .	38
§. 8. Oratio dominica. . . . .	45
§. 9. Christi de precum materia, indole et necef- sitate praecepta. . . . .	49
§. 10. Christi de precum vi et auctoritate opiniones. 56	

CAPUT



## CONSPECTVS.

CAPV T SECUNDVM. Apostoli et primi Christiani. Pag. 64 - 98

- §. 11. Exempla precum ab apostolis et primis  
Christianis fusarum, una cum formulis pre-  
candi in genuinis apostolorum scriptis obviis. 64
- §. 12. Pauli de precibus, earum vi, modo et variis  
generibus dicta. . . . . 74
- §. 13. Aliorum apostolorum, quorum scripta in  
sacro codice supersunt, de precibus sententiae. 90

PARS TERTIA. Brevis recensus variarum de precibus  
opinionum ac comparatio eorum, quae Christus et  
Apostoli docuerunt, cum iis, quae antea tradita erant. 98 - 107

- §. 14. Recensus ac comparatio variarum de ex-  
terno precantium ritu, de precum indole, ar-  
gumento et necessitate sententiarum. . . . . 98
- §. 15. Sacrorum scriptorum de precum efficacia  
sententiae inter se comparatae. . . . . 104

---

PROOE-



et quae in libro sacro sunt non in libro illius libri nisi in libro Sacrae Scripturae. Quae sunt in libro Sacrae Scripturae et non in libro Sacrae Scripturae? Propter hoc dicitur quod non in libro Sacrae Scripturae. Quae sunt in libro Sacrae Scripturae et non in libro Sacrae Scripturae? Propter hoc dicitur quod non in libro Sacrae Scripturae.

## PRO O E M I V M

D E

### VARIIS, QVAE IN SACRO CODICE PLVRIME LEGVNTVR, PRECVM NOMINIBVS.

**H**istoriam precum biblicalam scribentem ante omnia diligenter de variis nominibus inquire oportet, quibus apud sacros scriptores animi pii ad Deum elatio designatur, ne vobis ambiguate et usum loquendi incerto atque vago inductus, aut loca minus conspicua negligat, aut aliena prorsus huc non pertinentia laudet, aut denique difficiliora false interpretetur. Quibus de causis, cum summi sit haec res momenti, caute progrediamur viamque singularum vocum explicatione muniamus, antequam ad sacrorum scriptorum de precibus sententias evolvendas accedamus.

- I. Quod itaque primum ad Vetus Testamentum attinet, saepissime in eo de precibus legitur, et multa eorum occurunt nomina, quorum haec fere plurime leguntur.

- 1) Saepissime sacri scriptores utuntur vocabulo חֲפָלָה et subst. חַפְלָה, quod Alexandrini per προσεύχεσθαι et προ-

A

προ-



σευχὴ reddunt. Derivanda est hacc vox a radice הַל, quod vero in Kal inusitatum est, sed, ut viri docti ex dialectis cognatis probaverunt, proprie significat: separavit, diremit, et hinc specialiter; diremit lites, judicavit, quo sensu in Piel legitur. 1 Sam. II, 25. Ps. CVI, 30. coll. Num. XXV, 7-8. Quare Hitphael הַחְפָּל a) proprie significat: se ipsum ad lites dirimendas interposuit, quo sensu 1 Sam. II, 25. וְיַחֲפָל לוֹ dictum mihi videtur \*). Inde petita est ea significatio, qua et verbum et substantivum saepissime in V. T. occurrit: intercedere in favorem alicujus, deprecari pro aliquo, e.g. Num. XXI, 7. 1 Sam. VII, 5. XII, 23. Ies. XXXVII, 4. Jeremias VII, 16. XI, 14. XIV, 11. Construitur הַחְפָּל omnibus his locis cum בַּעַד (πρεπτόν apud Alex.) in locum alicujus, pro aliquo preces facere i.e. intercedere. At eodem sensu sine בַּעַד occurrit Gen. XX, 17. Sed b) deinde multis aliis locis הַחְלֵל et subst. הַפְּלָה simpliciter precari, preces cujuscunque generis fundere significat, ut e. g. 1 Sam. II, 1, ubi lactae gratiarum actiones et laudes Dei ita audiunt, Ies. XXXVII, 15., ubi praecipue preces pro avertendis malis factae intelligenda sunt, Ps. VI, 9. Daniel IX, 3., ubi

\* ) Legitur ibi Eliae filios sacrilegium commisisse. Quare Elias ait: si quis in homines peccat, judicabunt eum judices אלְהִים וּפְלֵלָיו, si vero quis in Jehovam peccat, וְיַחֲפָל לוֹ quis intercedet pro eo, uti vulgo vertunt. Sed parallelismus membrorum obstare mihi videtur. Aperte enim duo haec membra sibi opponuntur, et eam ob causam persuasum mihi habeo vertendum esse; quis judicem se interponet. Accedit, quod, uti postea exemplis probabo, הַחְפָּל, si deprecari significat, cum particula בַּעַד potius construi solet, quam cum solo pronomine. Quare hunc locum in disquisitione mea omittendum putavi, nullo enim pacto in utroque membro הַל cum Alex. per προσεύχεσθαι verti potest.



abi preces pro peccatorum remissione occurrunt, 1 Reg. VIII, 33. 38. 45. 2 Chr. VI, 19. 21. 25. 26. 29. 32., ubi varia precum genera hoc nomine vocantur. Conferri praeterea possunt, Prov. XV, 8. XXVIII, 9. Jes. I, 14.

2) **נְחַנָּה** et subst. **נְחַנָּה** et **נְחַנָּה**, [(*αἰγίζων*, προσεύχεσθαι, ἐξομολογεῖν, προσευχή, δέοσις etc. apud Alex.) a. r. ρη miseris cordem esse, favere, inde Hitph. miseris cordem aliquem nobis reddere, studere ut aliquem ad favorem adducamus, inde deprecari, implorare et subst. **imploratio** miseris cordiae, deprecatio. Ita נְחַנָּה a) occurrit de hominibus, quorum auxilium imploramus, Gen. XLII, 21. Hiob XIX, 7., deinde b) imprimis de precibus ad Deum fusis usurpat, ut e. g. Ps. VI, 9. XXX, 9. CXLII, 2. 1 Reg. VIII, 33. 38. 45. 2 Chr. VI, 24. 29. Dan. IX, 5. etc., quibus locis comparatis, sub hac etiam voce varia precum genera comprehendendi, eamque saepius synonymum esse **תְּפִלָּה** חֲנָה, quisque vidit.

3) **עַרְךָ** preces fundere significat, ut patet ex Gen. XXV, 21. Exod. VIII, 4. 26. Jud. XIII, 8. Jes. XIX, 23, quam significationem una cum ea, qua haec vox saepius occurrit, ut Prov. XXVII, 6. et Ezech. XXXV, 13. mentiri, ex generali, quam apud Syros et Chaldaeos habet: dives fuit, abundavit verbis, derivare student Lexicographi. Sed valde dubito de hac derivatione, et statuendum potius puto ו apud Hebraeos, ut hodie ז et ז apud Arabes, duplarem habuisse formam, quod analogia etiam litterae ו et ו confirmatur, ita ut עַרְךָ sit mentiri et עַרְךָ precari, (seu vice versa), ut שְׁבַרְךָ frangere et שְׁבַרְךָ spectare, seu רַאשָׁה superstitem esse et רַאשָׁה effervescent, quod quidem in V. T. non invenitur, sed apud Arabes existat لـ, unde رـ fermentum Exod. XII, 15. Caetrum Alex. עַרְךָ per δεῖσθαι et εὐχεσθαι reddunt.



- 4) פָּנָע occurrere, convenire, obviam venire, aut  
a) hostili animo: invadere, Jud. VIII, 21., aut b) animo placandi: intercedere, supplicare, Jeremi. VII,  
16., ubi synonimum est נְשָׁא רַנֵּה et פָּלָל, Jesaias LIX, 16.,  
ubi legitur part. מִמְנָע intercedens, deprecator.  
Alex. פָּנָע per προσέρχεσθαι περὶ τινὸς et part. מִמְנָע per ἀντι-  
ληψόμενος reddunt.
- 5) לְאַשׁ (apud Alex. ἀπεῖν) in genere petere, inde a) pe-  
tere ex aliquo, interrogare, Deut. XVIII, 11. b) pe-  
tere ab aliquo, a) ab hominibus Jud. V, 25. β) a Deo  
i. e. precari, 1 Sam. I, 20. 27. 1 Reg. III, 10. II. Ps. II, 8.
- 6) וְעַקְלָה וְיְהוָה צְעַק אֶל יְהוָה (κράζειν πρὸς Κύριον apud Alex.)  
clamare ad Jehovam, clamore excitato Deum  
invocare, Exod. VIII, 8. Jud. III, 9. 15. IV, 3. VI, 6. X,  
10. 15. 1 Sam. VII, 8. 9. Ps. LXXII, 2. Hiob XXVIII, 9.,  
quae loca si inspexeris, videbis hoc vocabulo praecipue usos  
esse sacros scriptores, dum preces intelligent, quas cala-  
mitatibus oppressi pro malis avertendis precamur.
- 7) Simillima his est alia formula: קְרַת אֶל יְהוָה, vocare ad  
Jehovam, Jud. XVI, 28. 1 Sam. XII, 18. 1 Reg. VIII, 43.  
etc. et וְיְהוָה שְׁזַע אֶל clamare ad Jehovam, κράζειν seu κλαυσεῖν  
ἐἰς τὸν Κύριον, ut est apud Alex.
- 8) Haud raro etiam אמר אל יְהוָה, (εἰπεῖν εἰς τὸν Θεόν) de pre-  
cantibus legitur, Gen. XXXII, 10. Exod. XXIII, 12.  
Num. XVI, 22.
- 9) Ad designandam laudem divinam, piisque gra-  
tiarum actiones, multa adhibentur vocabula, ut e. g.  
שְׁוָר et subst. שְׁוָה seu שְׁוֹתָה; וְמַר et subst. מִזְמָרוֹת, ca-  
nere, laudes alicujus canere, Exod. XV, 1. 2.  
Jud. V, 3. Ps. XXI, 14. LIX, 17. IX, 3. LXI, 9. XCIVIII,  
5, etc; וְיֻמָּס extollere, laudibus aliquem extol-  
lere, laudare, Ps. CXLV, 1.; בְּךָ primo: genu fle-  
ctere, deinde benedicere, laudare, celebrare,  
Ps.



Pf. CXLV, 1. Deut. X, 8.; לְלִבָּן in Kal. gloriari, in Piel celebrare; inde subst. חַהֲלָה laus, gloria, et active laudatio, Pf. CXLVI, 1. CXLVIII, 1. 2. 3. 4. 5. XXXIII, 1.; יְרֻחָה in Hiphil. חַרְחָה diffundere, divulgare, confiteri, celebrare, Pf. XXXIII, 3.; נְגַנָּה subst. רְגַנָּה sonitum edere inde a) clamare, vociferari, quare נְשָׁה apud Jerem. VII, 16. XI, 14. synonymum est τῇ βλῆναι et παγεῖν, et mala deprecari (αιτεῖν apud Alex.) significat, b) jubilare, cantare, laetis exultationibus gratum testare animum. Pf. XXXIII, 1. LXXI, 23. 1 Reg. VIII, 28. Confruuntur omnes hæc voces, modo absolute, modo cum לְיהוָה, aut cum לְשָׁמָרָה. Vertuntur ab Alex. per ἀδειν σκηναὶς αἰδειν, ψάλλειν, εὐομολογεῖν, αἰνεῖν, εὐλογεῖν, οὐψεῖν et simil.

10) Denique Hebraei vocibus a precantium ritu petitis utuntur, ut e. g.

a) שְׁחַרְתָּ Hitphael שְׁחַרְתָּה cum synonymo, **כְּרֹעַ**, inclinari, se incurvare honoris et cultus causa, adorare, (προσκυνεῖν Alex. vertunt). Ita certe haec vox quibusdam locis v. c. Gen. XLVII, 31. Exod. IV, 31. Esr. IX, 5. יוֹאכְרָעָה עַל בְּرֵכִי, legitur. Sed bene tenendum est, non semper שְׁחַרְתָּה et adorationem divinam significare. Saepissime enim de veneratione principis apud Orientales solita occurunt, v. c. 2 Sam. XVI, 4. Ita etiam, quae Josuæ V, 14. de adoratione angeli profida sunt, intelligenda mihi videntur.

b) נְמַלְלָה, (apud Alex. πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον) in faciem procumbere, Num. XVI, 22. XX, 6. Jos. VII, 6.

c) מְרַשֶּׁת כְּפִים, tendere manus, supplices tollere manus, uti solent precantes, (εἰξετέλειν seu διαπέταξειν ποτας χεῖρας apud Alex.) 2 Chr. VI, 12. Jes. I, 15. Interdum אל וְרוֹחָה (πρὸς Κύριον) additur, ut Exod. IX, 35. Esr.



Esr. IX, 5., seu **הַשְׁמִים**, (*εἰς τὸν ἀρενὸν*) i Reg. VIII, 22., nec non **דְבֹת הָהָה**, (*εἰς τὸν ὄικον τοῦτον*) i. e. ad templum, 2 Chr. VI, 29.

d) **לִפְנֵי וְהַהֲהָה עִמֶּךָ** seu **לִפְנֵי וְהַהֲהָה** (*ἰσάναι ἐναντίον Κυρίου*, seu *κατὰ πρόσωπον*, seu *πρὸς προσώπῳ* apud Alex.). Proprie haec formula significat: stare coram aliquo, deinde ei ministrare. Ita e. g. Gen. XVIII, 8. legimus, Abrahamum stetisse coram hospitibus i. e. iis ministrasse, ut patet ex contextu. Stare coram Deo est igitur: ei ministrare, praecipue sacrificiis oblatis eum colere, ut Deut. X, 8. et saepius; sed aliis locis preces fundere, precibus Deum colere significat, praecipue precibus pro aliquo intervenire, quod probari potest duobus apud Jeremiam locis XV, 1. et XVIII, 20. Huc etiam pertinere videatur Lev. IX, 5.; sed de loco Gen. XIX, 27. dubitari potest.

Supersunt duae aliae voces, quas plerumque preces significare putant, quod mihi vero admodum dubium visum est.

1) Gen. XXIV, 63. Isaacum tempore vespertino in agrum exiisse legimus, precandi causa, ut vulgo putant. In textu hebraeo legitur **רִוְשָׁה**, quod primo significat proferre, producere, deinde verba proferre, loqui, et de animo: cogitare, meditari, quo sensu saepissime occurrit, e. g. Ps. CXLVII, 5. CXIX, 23. Non nego quidem, **רִוְשָׁה** per se precandi significationem habere posse, sed exemplis probatum esse hunc usum loquendi non video. Quare l. l. cum Vulgata **רִוְשָׁה ל'** ad meditandum vertere malim. Alex. non minus a partibus meis stare videntur, nam et h. l. et Ps. CXIX, 23 per **ἀδολέχειν** verunt.

2) Eccles. V, 1. monet auctor praeclari hujus libri, non esse festinandum ad producendum verbum coram



ram Deo (לְחַצֵּיא דָבָר לִפְנֵי הָאֱלֹהִים). Vulgo putant de precibus hic sermonem esse, sed contextus requirere videtur, ut hic locus cum sequentibus de votis explicetur. Plura suo loco dicturi sumus. Alex. ambiguatatem retinent, dum vertunt: εξενέγκαι λόγον πρὸ προσώπῳ τῷ Θεῷ.

II. Transeamus jam ad Novum Testamentum, et breviter de nominibus precum, quae plurime ibi leguntur, exponamus.

A) Vocabulorum generalium, quibus modo omnia precum genera comprehenduntur, et modo haec, modo illa species exprimitur, duae esse videntur.

1) Προσευχὴ et verbum προσεύχεσθαι. Latissime patet hoc vocabulum, uti Schleusnerus in lexico bene monuit, et non solum preces cuiuscunque generis, sed meditationes etiam sacras significat. Προσεύχεσθαι est in genere: Deo piam mentem declarare Luc. VI, 12., precari, preces cuiuscunque generis ad Deum fundere, ut patet ex locis, Marc. I, 35. VI, 46. Matth. VI, 5. 6. 7. 9. XIV, 23. XXVI, 36. sq. Luc. IX, 28. XI, 1. XIV, 40 - 46. Marc. XIII, 13. 33., ubi modo bona appetantur, modo mala deprecantur. Inde προσεύχεσθαι ὑπὲρ seu περὶ τινὸς, quod saepissime legitur, est: commodum alicujus precibus expetere, Act. VIII, 15. Colos. I, 9. IV, 3. 1 Thess. V, 25. 2 Thess. III, 1. et saep.

Similiter subst. προσευχὴ, modo de piis meditationibus, Act. I, 14. Luc. VI, 12. modo de precibus in genere, Eph. VI, 18. Coloss. IV, 2. 1 Pet. III, 8., modo de singulis generibus legitur, quibus aut bona obtainere, Marc. IX, 29., aut mala avertere studemus, Luc. XXII, 45., (de utro-



utroque i Thim. II, 1. intelligendum esse puto,) modo deprecationes in favorem alius cuiusdam factas, quod nos dicimus Fürbitte significat, Eph. I, 16. 1 Thess. I, 2., quo sensu ὑπὲρ τινὸς interdum additur, Act. XII, 5 etc. Denique per metonymiam est proseucha בֵּית חַדְשָׁה, aedificium ad mare seu fluvium exstructum, in quo Judaei ter singulis diebus statis horis convenire solebant, Act. XVI, 13. 16., ad quem locum plura de proseucha monebo.

2) Δέομαι et subst. δέησις. Δέομαι a) indigeo, mihi opus est, qua significatione apud scriptores profanos saepissime occurrit; b) peto ab aliquo e. g. Math. IX, 38. Luc. VIII, 38., c) peto a Deo, oro, precor, Luc. XXI, 36. Act. IV, 31., d) δέομαι ὑπὲρ τινὸς seu περὶ τινὸς, perecor pro salute alius VIII, 24. Luc. XXII, 32. Inde subst. δέησις a) indigentia, ut apud Alex. Ps. XXII, 24. b) supplicatio, preces quibus, quae nobis necessaria sunt, a Deo petimus, aut mala deprecamur, (Bittgebäte) Rom. X, 1. Philipp. I, 3. 2 Thim. I, 3. Heb. V, 7., ubi synonymum ἴκετηρία additur, Jac. V, 6. c) preces cujuscunque generis i Thim. II, 1., quare δέησις et προσευχὴ junguntur, Eph. VI, 18. (διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δέησεως προσευχόμεναι). i Thim. V, 5.

B) Ad preces, quibus aliquid a Deo expetimus, quocunque demum illud sit, sive pro nostra, sive pro aliena salute fiant (Bittgebäte) describendas, praeter προσευχὴ et δέησις his fere saepissime usi sunt scriptores vocibus.

i) ἴκετηρία supplicatio, preces petitoriae  
Heb. V, 7.

2)



- 2) *Aἰτεῖν* et *αἰτεῖσθαι*, rogare, petere aliquid, Math. VII, 19 et saep. Inde ad Deum transfertur et precari significat, seu precibus a Deo aliquid expetere, Math. VII, 7. 11. XVIII, 19. Joh. XIV, 13. 14. XV, 7-16. XVI, 23-26. Eph. III, 13. Coloss. I, 9., ubi cum *προσεύχεσθαι* jungitur, etc.
- 3) Eodem modo se habet cum *ἐρωτᾶν*, quod tam petere ex aliquo, interrogare, Joh. XVI, 5., quam petere ab aliquo et a Deo, precari significat, Joh. XVII, 15-20.
- 4) Synonymum est *παρακαλεῖν τὸν Κύριον*, 2 Cor. XII, 8.
- 5) Simili sensu *κράζειν* de iis, qui precibus Deum ad-eunt, invenitur, Rom. VIII, 15.
- 6) Denique uno tantum loco, si rite memini, verbum *προσέρχεσθαι* de deprecationibus legitur. Haec vox proprie significat adire aliquem. Marc X, 2. Speciatim in epistola ad Hebreos de iis utitur, qui ad aram accedunt Deo sacrificia offerendi causa, X, 1. Metaphorice primo ad eos transfertur, qui Deum colunt, Heb. X, 22. et deinde ad pre-cantes, qui precibus quasi Deum adeunt, IV, 16.
- C) Preces pro aliis ad Deum fusae praeter ea nomina, de quibus jam vidimus, 1 Thim. II, 1. *ἐντεύξεις* appellantur. Eodem sensu verbum *ἐντυγχάνειν* *ὑπὲρ τινὸς* legitur, Rom. VIII, 27. et *ὑπερεντυγχάνειν* *ὑπὲρ τινὸς*, Rom. VIII, 26. Is *ἐνταγχάνειν*, seu *ὑπερενταγχάνειν* *ὑπὲρ τινὸς* dicitur, qui causam alicujus fuscipit, ejus loco res gerit, pro aliquo cum altero agit. Sed quot de causis et quot modis cum altero agat, tot significationibus variari posse hoc verbum, ideoque de deprecante, commendante, se alterius causa interponente, accusante, defendantе, paciente, dici, bene annotavit Morus. Contextus semper inspiciendus est, quo rite dijudicare possimus, quaenam significatio loco, qui

B

in



in disputationem vocatur, conveniat. Ita e. g. subst. *ἐγρέψεις* I. I. huc restringendum esse, ut preces tantum sub eo intelligamus, ex contextu patet. Pari modo verbum, Rom. VIII, 26. sine ullo dubio ad preces spectat tacitas, seu suspiria pia, quae ex probamente profluunt, ut suo loco probandum erit. Sed duobus aliis locis, Rom. VIII, 34. et Hebr. VII, 25. interpretatio vulgaris idoneis argumentis oppugnari potest.

**D.** Ad exprimendas gratiarum actiones duobus imprimis vocibus utuntur apostoli, *εὐλογεῖν* et *εὐχαριστεῖν*, subst. *εὐλογία* et *εὐχαριστία*. Pro synonymis eas habendas esse, innumera locorum copia probat. Leguntur praecipue de precibus ante coenam precatis, v. c. Math. XIV, 19 XXVI, 26. 27. Marc. VI, 41. VII, 6. XIV, 22. 23. Luc. XXII, 19 XXIV, 30. Joh. VI, 11. 1 Cor. XI, 24. Sed aliis locis sensu generali de omnibus precibus, quibus Deo gratum testamur animum, occurunt, ut Rom. I, 8. 1 Cor. I, 4. Eph. I, 16. V, 20. 1 Thim. II, 1. Denique *εὐλογεῖν*, ut Hebracorum בָּרוּ interdum laudem divinam celebrare significat, Luc. II, 23. Jac. III, 9. et adject. *εὐλογητός* saepissime in doxologiis e. g. Rom. IX, 5. 1 Pet. I, 3. etc. invenitur.

**E)** Praeterea de precibus, quibus laudes divinas celebramus, omnia fere ea vocabula legimus, quae apud Hebraeos in usu erant. Ita e. g. apud Math. XI, 25. et Luc. X, 21. invenitur: *ἐξομολογεῖν τινὶ* i. e. a) confiteri se beneficia accepisse, gratias agere, laudare, celebrare, Rom. XV, 9. Huc etiam referendae sunt voces: *ἀγαλλιαζομαι*, Luc. X, 21. *Ψάλλω*, Rom. XV, 9., *ἐπαινῶ*, Rom. XV, 11., *ἄινῶ* ibid. Luc. II, 20., *δοξάσω* ibid., *ἄδω* Coloss. III, 16 et subst *ψαλμός*, *ὕμνοι*, *ώδαι πνευματικοί*, Coloss. III, 16. Eph. V, 19. etc.

*Praeterea* **F)** De precibus tacitis Marc. VII, 34. verbum *σενάζειν* legimus, quod primo significat: suspirare, ingemiscere,

cere, b) submissa voce loqui, clam verba facere, et de precibus tacite precari. Ita subst. σεναγμός legitur apud Paulum, Rom. VIII, 26. Alii clamare vertunt, et usu loquendi Alex., qui Hiob XXIV, 12. pro ψι et XXXI, 38. pro πνη σενάζειν habent, hanc interpretationem confirmari putant. Sed ob Rom. VIII, 26., ubi apostolus adjectivum ἀλαλητὸς addit, hanc interpretationem rejiciendam esse censeo.

- G) Ad eas vero preces describendas, quae clara voce fiunt, apostoli, modo formula ἄπειν φονὴν πρὸς τὸν Θεόν, ut Act. IV, 24., modo verbis αἰκονίνεσθαι καὶ ἐιπεῖν, Math. XI, 25., seu simpliciter λιπᾶν, Joh. XVII, 1. Luc. X, 21., seu λέγειν, Luc. XXIII, 34. etc. utuntur.
- H) Si autem publice, seu a pluribus conjunctim factas esse preces narrant, ὅμοδυμαδὸν i. q. ψι et ψι Hiob XVI, 10. addunt; e. g. Act. I, 14. IV, 24.
- I) Preces affidue factas esse, per verbum προσκαρτερεῖν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει, Act. I, 14. et per subst. προσκαρτερήσις, Eph. VI, 18. exprimunt. Προσκαρτερεῖν propriè significat adhaerere alicui rei et deinde, ut Latinorum inhaerere, perseverare, perducere, affidue alicui rei operam dare, versari in aliquo negotio, et de precibus iterare preces. Saepius pari sensu adv. πάντοτε seu ἀδιαλέιπτως, sine ulla intermissione i. e. affidue, iteratim, usurpatur; ut Luc. XVIII, 1. I Thess. V, 17. nec non formula μὴ ἔκκαπεῖν Luc. XVIII, 1.
- K) H) autem, qui multa et inania verba in precibus faciunt, βαττολογεῖν dicuntur, Math. VI, 7.
- L) Denique sacri scriptores N. T. iisdem fere nominibus tropicis, ut ita dicam, a precantium ritu petitis, utuntur, quae apud Hebraeos in usu fuisse viderimus.



Ita e. g. Joh. IV, 21-24. προσκυνεῖν ἡράς et כְּרָע de adoratione Dei legitur, Act. IX, 40. Petrum precantem in genua procubuisse narratur, (θεὶς τὰ γόνατα προσκύνεστο). Aliis locis precantes ἐπαιρεῖν τὰς ὁφθαλμὰς εἰς τὸν ἄρανον, attollere oculos in coelum, dicuntur, Joh. XVII, 1. seu ἀναβλέπειν εἰς τὸν ἄρανον, Marc. VI, 41., VII, 34.

Postremo λειτουργεῖν Act. XIII, 2. de precibus occurere mihi videtur. Quae vox (ex λεῖτον et ἔργον composita) proprie significat fungi munere seu onere publico, quo sensu apud oratores Graecos, praecipue Demosthenem in Leptinea, saepius legitur de τριηράρχᾳ aliisque oneribus publicis, quae ditissimo cuique imponi solebant. Apud Alex. Deut. X, 8. Heb. כְּרָע respondet et usurpatur de Levitis. Transfertur inde ad ministerium templi et opera publica religionis causa praestanda, Luc. I, 25. Cum ergo de doctoribus religionis Christianae formulam λειτουργεῖν τῷ Κυρίῳ legimus, nil aliud ea significare potest, quam praeesse rebus sacris. Tali modo per se latius patet haec vox et non solum omnia varia precum genera, sed jejunia etiam et eaetera sacra complectitur; Act. XIII, 2. vero preces intelligendas esse ex v. 3. patet, ubi pro λειτουργήντες est προσευξάμενοι. At, si rite memini, hoc uno tantum loco λειτουργεῖν de precibus occurrit, et praeterea saepeissime de pecunia collecta, qua inopes adjuvantur, legitur, ut 2 Cor. IX, 12., quo loco cave ne de precibus interpreteris.

Hae fere sunt, quae de precum nominibus praemonenda esse putabam, quibus absolutis ad rem ipsam festino.

PARS



## PARS PRIMA.

HISTORIA PRECVM APVD HEBRAEOS  
ANTE CHRISTVM.

## §. I. Aetas Patriarcharum.

Patriarcharum nomine primi humani generis auctores et praeципue Judaeorum patres comprehenduntur, quorum in primo illorum librorum, qui Mosis nomine inscripti ad nostrum aevum pervenerunt, sit mentio. Sed plane nescimus, qua aetate, et quo auctore scripta sint prima illa capita, seu si magis ita placet, carmina Geneseos. Illud tantum procul dubio esse videtur, auctorem, sive sit Moses, sive alius quisquam, accepisse antiquiores traditiones, aut scriptas, aut narrando servatas. Quamvis ergo minus ex his libris patet, quomodo primi homines de precibus cogitaverint, quam quomodo auctor seu auctores illorum fragmentorum eos sensisse putaverint, simul tamen sententias sapientium, qui Mosen antecellerunt et quorum traditionibus in contextendis his libris usus est, nos inde cognovisse arbitrari possumus.

Ad fidem Geneseos primi hominum patres quam maxime pii fuerunt. Cultus Jehovae, et perpetua recordatio beneficiorum, quibus Deus eos ornavit, et legum, quas tulit, reverentia, pro primariis, seu, ut ita dicam, cardinalibus habitae sunt virtutibus, id quod multis probari potest exemplis. Sacrificiis Deum propitium sibi reddere studuerunt, et gratias ei egerunt pro beneficiis acceptis. Quibus sacrificiis



ficiis preces eos addidisse verisimile sane videtur. *Cain et Abel* (Gen. IV.) uterque Deo offert sacrificia, et magis Deo placent Abeli dona, ob meliorem sacrificantis indolem. Pari modo *Noachus*, *Abrahamus* caeterique saepius cum Deo colloquuntur, aras exstruunt et sacrificia offerunt, quae benigne Deum accepisse narratur, v. Gen. XII, 4. 18. XXI, 33. etc. *Melchisedek* Abrahamum, qui Lotum liberaverat, Gen. XIV, 19-20. beatum praedicat, et formulam laudis divinae simul addit. Gen. XIX, 27 narratur, *Abrahamum* multo mane se contulisse in eum locum, quo susterat coram Deo, (אֲשֶׁר עָמַד שְׁמַעַן וּרוּחָה) quod vero dupli modo intelligi potest, ita ut vel credamus Abrahamum Deo sacrificia obtulisse, vel arbitremur preces eum fudisse, quanquam posterius praferre malim. At Gen. XX, 17. dissertis verbis Abrahamum preces fudisse legimus,

Quod porro ad *Isaacum* attinet, locum Gen. XXIV, 65 dubium esse, jam in prooemio ad vocem שׂוֹרֵן monui. Sed Gen. XXV, 21. aperte narratur, eum supplicem a Deo petisse, ut foecundam reddat Rebeccam, Deumque exaudiisse has preces. Vide quoque Gen. XXIV, 12. 26. 27. 42. 48.

*Jacobum* denique morti proximum se incurvasse supra caput lecti \*) Gen. XI.VII, 31. memoriae proditum est, ac idem Jacobus moribundus filios Deo commendat, Gen. XLVII, 15. et bona iis apparetur, quam patriarcharum fuisse consuetudinem aliis insuper exemplis, praesertim Isaaci errore decepti Jacobo pro Esavo benedicentis, (Gen. XXVII, 27 sq.) firmari potest.

Praeterea superest formula quaedam precandi ex hoc primo humani generis aevo, quae Gen. XXXII, 9-11. legitur.

\*) יְהִי שָׁתָחֹת וְשָׁרָאֵל עַל רַאֲשֵׁה הַמִּתְהָרֵךְ, quod auctor epistolae ad Hebreos XI, 21., auctoritatem Alex. sequutus, καὶ προσεκύνεισεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς φάραγγος αὐτῇ vertit, sensu nihil mutato, nám siue lectum intelligas, siue baculum, non multum refert, praecipuum in hac re est Jacobum ad Deum orasse.



gitur. Jacobus in patriam reversurus, nuntium accipit, fratre Esavum cum CCCC servis appropinquare. Quo nuntio perturbatus, Deum precibus invocat, majorum Deum eum alloquitur, gratias ei agit ob beneficia eximia in suos cumulata, promissorum memorem esse jubet, et orat, ut servet eum e manu fratris, ne suis malum contingat ab Esavo irato.

Solebant igitur homines a primis inde temporibus Deum invocare, sacrificia ei offerre et manus supplices ad dominum coeli terrarumque tendere. Duplex constitui potest precum genus, alterum, quo Deo gratum testabant animum, alterum, quo magnum illud numem sibi suisque propitium reddere studebant. Summam esse arbitrabantur vim et efficaciam piae orationis ad Deum habitae, nec dubitabant exaudiri preces. Magnam putabant piorum hominum auctoritatem, cum intervenirent pro aliis et in eorum favorem verba facerent, quod optime cognosci potest ex colloquio Abrahami cum Deo propter excidium Sodomi et Gomorrae, Gen. XVIII, 20. sq.<sup>149</sup> Precibus Abrahami, de quibus supra diximus, conjuges Abimelechi, antea ob Sarum steriles factae, foecundae redunduntur. Tanta fuit auctoritas Abrahami deprecantis; neque minorem dignitatem precibus Isaaci tributam fuisse ex loco Gen. XXV, 21. patet.

Sed haec fere sunt, quae ex antiquissimis illis monumentis biblicis in memoriam revocasse juvat, quibus praemissis ad Mosen accedimus.

### §. 2. Moses.

Tempore, quo natus est Moses, populus Judaeorum gravi Pharaonum imperio parebat. Calamitatibus exhausti manus supplices ad Deum Abrahami et Isaaci tendebant, et exauditae sunt eorum preces. Ita in initio libri secundi, qui Mosis nomine inscriptus ad nos pervenit et Exodus vulgo nominatur, memoriae proditum est (II, 23 - 25.). Vigebat inter eos cultus Dei patrum, cui sacrificia offerre solebant,



lebant, et a quo preces, quas fundebant, exaudiri persuasum sibi habebant.

*Moses* in aula Pharaonis educatus, et omnibus Aegyptiorum artibus imbutus, bene tamen de populo suo meruit, educens eum ex Aegypto. Legislator existit et religionis reformator. Leges non solum tulit civiles, sed etiam morales easque pro sua aetate optimas sane. Summa legum moralium huc fere spectat: Jehovam pie esse colendum, ob egregia in populum suum merita et pro maxima qua gaudeat potentia, neminem nisi eum esse adorandum, ab eo solo salutem exspectandam et ad ejus praecepta per Mosen revelata omnem instituendam vitam.

De precibus multa apud Mosen legimus. Narratur saepius eum collocutum esse cum Deo, a quo mandatum accepisset, populum educere in terram sanctam patribus promissam et leges ei ferre. Deum semper sibi adesse putavit, et quam saepissime ad eum precatus est. Cum populum incolumem per mare rubrum duxisset, et persecutores mortem in undis invenissent, una cum populo suo oratione pulcherrima, quam legimus Exod. XV., Deo gratias agit, magnitudinem et beneficia ejus laudans. Praeclaro illo cantico Deut. XXXII, quod antequam ex hac vita discederet eo consilio contexuit, ut Israelitarum animis omnium legum suarum summam, idolatriae odium, alte infingeret, postquam omnem naturam testem invocasset, commendatione dicendorum ab insigni utilitate praemissa, primum populo ingrato beneficia divina in memoriam revocat, et celebrandum semper esse Dei nomen docet, et tunc Deum loquentem inducit.

Idem Moses saepius ad Deum precatur, ut ipse et populo, quem ducebat, propitius sit. Hujusmodi precum unum et alterum exemplum dabo, quorum primum legitur Exod. XVII, 4. Judaei aquae defectum moleste ferebant et Mosen accusabant, qui ex Aegypto eos eduxisset, ut in deserto siti perirent. Tunc Moses Deum implorat,

ut



ut viam sedandi populi tumultum indicare velit. Deus exaudit preces Mosis, cui indicat unde aquam petere possit. Alterum exemplum, idque clarissimum, legitur Exod. XXXIII, 12. Moses petit a Deo, ut viam, qua populum ducat, servo suo demonstret, et sub finem v. 15. haec verba addit: “*cogites quaeſo hunc populum tuum esse*”. Deus Mosi promittit se eum facie sua ducturum esse. Tertium denique exemplum legitur Num. XVI, 22. Deus iratus ob seditionem Korachi, Mosen et Aaronem secedere jubet ab ejusmodi populo, ut eum extirpet. Illi vero in faciem prostrati, *Deum spirituum omnis carnis* \*) implorant, ne ob paucos homines \*\*) qui peccaverint, omnem populum extirpet. E quo exemplo illud quoque patet, quod memorare non alienum a proposito meo est, et aliis insuper locis biblicis probari potest, e. g. Exod. IV, 31, (de quo loco mox plura dicam), jam tum precantibus solenne fuisse in faciem sese prosternere coram Deo, ad humilem suam conditionem significandam. Postremo his addi potest locus, Num. XXI, 7. et alia.

At non Moses solus preces fundere solitus est; sed *populus Judaeorum* quoque legistatem imitatus verba ad Deum fecit. Exod. IV, 31. narratur Judaeos, cum accepissent, Deum inspexisse populum suum et misertum esse calamatum, quibus premebantur, se projecisse et Deum adorasse.

Hactenus de precum exemplis. Jam supra vidimus Mosen docuisse, nullum Deum nisi Jehovah adorandum esse; haec enim primaria est lex inter eas, quae in Decalogo continentur. Dies festos praeterea instituit, sabbatum et magna illa

\*) אֱלֹהִי הָרוּחוֹת לְכָל בָּשָׂר i. e. *Deum creatorem et conservatorem vitae omnium animalium*.

\*\*) נַיְשׁ אֶחָר per μετορθόν paucos indicat homines; plures enim Israelite seditionis Korachi consciū erant.



illa tria festa, Pascha, Pentecosten et festum tabernaculorum, quibus suos memores esse jussit beneficiorum a Deo acceptorum. His festum expiationis addidit, quo sacerdos operculum arcae foederis sanguine bovis et hirci, pro Iudeorum peccatis mactati, adsperrgere, et totus populus jejunium exercere jubetur, v. Lev. XXIII. Sacrificiorum multa et varia genera praecepit, holocausta, oblationes, sacrificia eucharistica, expiacularia etc. cfr. Lev. I - VII. His sacrificiis additas fuisse preces, credibile sane est; nam afferi possunt rationes exegeticae haud contemnendae. Lev. IX, 5. narratur, Aaronem holocaustum Deo obtulisse et omnem populum stetisse coram Deo (עַמְךָ לִפְנֵי יְהוָה). Cum vero minime totus populus sacrificia offerebat, *flare coram Iehova, precari* significare videtur, et eam ob causam puto cum hoc Aaronis sacrificio preces conjunctas fuisse. At aliis etiam locus in promptu est, qui legitur Deut. XXVI, 1 - 10. Agitur de primitiis et formula precum simul additur, qua Moses enim uti jubet, qui ejusmodi frugum primitias Deo offert. Laudantur hac formula Dei merita in populum suum. Pluribus testimoniiis non opus esse mihi videtur ad probandam rem jam per se credibilem.

Quod attinet denique *vim precum*; statim illucet, Moysen et cives suos sibi persuasum habuisse, preces a Deo exaudiri. Exaudiuntur preces Mosis, et a Deo petentis, ut finem imponat malis, quibus Aegyptios afflixerat, Exod. VIII, 4. 8. 26. IX, 33. etc., et deprecantis pro populo suo, Num. XI, 2. XX, 6. Magna igitur precibus tum temporis tributa est vis, et quaecunque per Moysen precibus a Deo impetrari posse nihilque non impetratum esse putarunt.

### §. 3. Iosua et Judices.

Post Mosis obitum rudior incepit aetas, bella Iudeis orta sunt magna et fere sempiterna, quae sacra habebantur. Populi victi Cananaei summa crudelitate puniti sunt, et ut ita

ita fieri solet, omne vitae genus rudius et agrestius esse coepit.

*Josua* vir bellicosus quidem, sed et sapiens et prudens, quam maxime dignus, qui Mosen exciperet, celeberrimi legislatoris mentem optime perspexerat. Narratur ejus historia in libro Josuae nomine inscripto; sed ipsum non esse auctorem hujus libri argumentis non contemnendis viri docti probare conati sunt, contra quos alii alias sententias protulerunt. Eodem plane ratione se habet cum reliquis libris, qui res gestas periodi nostrae produnt. Quae monuisse suffecerit. Videamus, quae in his libris de precibus tradantur et cogitemus, nos non solum virorum illustrium, de quibus in iis agitur, sed multo magis auctorum, quorum nomina nos fugiunt, sententias de hac nostra doctrina cognovisse.

Pauca sunt memorata digna, quae e Josuae libro huic pertinent. Josua ad fidem hujus libri eodem modo, quo Moses populi dux constitutus, saepius cum Deo colloquitur et omnia ad ejus voluntatem exsequitur. Saepissime preces ad Deum fundit, sed quales hae fuerint ex notione Dei, quam habebat, bene intelligi potest. Ita v. c. ad Deum precatur, cum ob Achenis sacrilegium Israelitae clade affecti essent ab Aicis, cf VII, 6 - 9 Vestibus dilaceratis, vespertino tempore ante arcam foederis, ubi Deus semper praesens esse putabatur, fese prosternit, una cum senioribus populi caput cinere conspergit, et expostulat quasi cum Deo ob hoc malum populo suo illatum. “*Eheu! eheu! ita exclamat, cur populum hunc trans Jordanum duxisti, ut nos traderes Amoritis, qui nos occiderent, et cur non permisisti nos permanere cis Jordanum. Eheu! domine quid dicam? Israelitas terga vertitisse hostibus. Quae quum cognoverint Cananaei et omnes incolae hujus terrae, nonne nos circumdabant et etiam nomen nostrum e terra extirpabunt. Quid quaeeso per magnum tuum nomen facturus es?*” Deus respondet Josuae, malum hoc evenisse Israelitis damnatis ob



facrilegium. Quas preces si paulo acuratius inspicimus, facile cognoscere possumus, quaenam fuerit Josuae de precibus opinio.

Primo statim aspectu illucet, viguisse consuetudinem precantium perantiquam, procidere in faciem et externis etiam signis moerorem animi exprimere, et solitos fuisse Judaeos preces fundere in tabernaculo sacro. Argumentum precum bene respondet notionibus anthropomorphicis, uti dicunt, quas homines illius aetatis de Deo fovabant. Persuasum sibi habuisse et Josuam et auctorem hujus libri, exauditum iri preces, jam hoc exemplo probari potest. Magnam putatam esse Josuae apud Deum auctoritatem, praeterea celeberrima illa narratione de sole et luna in cursu moratis optime firmatur, quam legimus Jof. X, 12-14. Quis est qui non videat, poema nos legere audacissimum, etiam si illud הַלְאָה הִיא כָּתוּב עַל סֵפֶר הַיּוֹשֵׁב non additum esset \*). Sed nil hoc ad rem; nihilominus enim perspicuum est, auctorem hujus fragmenti maximam putasse auctoritatem Josuae apud Jehovahm, neque minus cives suos; alias enim non ausus esset poeta ita scribere.

Porro sacrificia Deo offerre et in omnibus reliquis leges Mosis servare non oblitus est Josua, v. VIII, 30. 31. Etiam nostro summa et primaria lex erat, Deum Jehovah unice esse adorandum, quod non solum ex narratione illa de ara, quam ea pars populi, quae trans Jordanum habitabat, exstruxerat, (Jof. XXII.) cognosci potest; sed magis etiam patet ex pulcherrima oratione, quam antequam diem supremum obiret, ad populum suum habet, qua eos admonet, ne a cultu Dei, qui tot tantisque beneficiis eos ornabit, recedere velint (Jof. XXIV.).

Super-

\*) Vide Justi, (K. W.), Blumen Althebräischer Dichtkunst. Giesen 1809. in quo libro plura carmina huc pertinentia explicantur.

Supereft unus locus, qui explicatione aliqua indigere videtur. Est is V, 14. Narratur ibi Josuam *adorasse angelum Dei*. Videtur hoc loco probari posse, Judaeos adorasse angelos. Sed non arridet mihi haec interpretatio; lex enim Judaeorum erat primaria, a Josua sancte servata, ut supra jam vidimus, Deum unice esse adorandum, et praeterea invenimus in textu hebraeo vocabulum *הָרָשָׁה*, de quo jam in prooemio monui. Quare hic non cogitandum est de adoratione divina, sed veneratione tantum principum apud Orientales solita.

Post mortem Josuae secuta est *Judicum*, vel ut rectius ita dicam, heroum aetas quam maxime bellicosa et turbulenta. Virtus bellica in summo habebatur honore, et viri fortes, qui Judaeis contra Cananaeos praeerant, et Iudices appellari solent, haud raro crudelius et atrocius se gerabant. Saepius Israelitae a cultu Jehovahe recerfisse et alios finitimorum Deos coluisse dicuntur. Tunc Deus iratus hostibus eos tradit, illi vero tali jugo oppressi, recordantur Dei et manus supplices ad eum tendunt salutem petentes, v. Jud. III, 9. 15. IV, 3. VI, 6. X, 10. 15. Deus preces populi resipiscens saepius benigne accipit et heroem, seu judicem (*תִּבְנֵי*) iis excitat, qui barbaris victis rempublicam restituit. Iudices vi supernaturali a Deo instructi, quaecunque moliuntur, Dei jussu moliri dicuntur. Deum consulunt, quid sit faciendum, e. g. VI, 14 - 16. XX, 18. 23 - 28. et ejus responsa exspectant. Victis hostibus Deo gratias agunt maiestatemque divinam celebrant, e. g. Debora in pulcherrimo illo cantu, quem legimus Iud. V. Arae Isaepius Deo exstruuntur et sacrificia in iis offeruntur, e. g. VI, 24. XXI, 4.

Celeberrimus Iudicum, *Simson*, ab hostibus captus, Iud. XVI, 28. Deum ita invocat: "Domine Jehovah, recordare mei et corroborare me, ut me ulciscar et poenas sumam a Philistaeis, qui oculorum lumine me privarunt". Quo facto se et hostes ruinis templi obruit. Ex tali exemplo optime



optime cognosci potest, qualis tum temporis fuerit precum indoles et quale argumentum. Sicut enim virtus bellica in summo erat honore, nil habebant, quod ea magis desiderarent et a Deo expeterent. Barbaros extirpare et ulcisci injurias ab iis acceptas, summa erat gloria, nec dubitabant Deum invocare, ut viribus eos instruere velit ad tale facinus patrandum; multum enim ad eorum opinionem et Dei interrerat vincere populum suum, et puniri aliorum Deorum cultores, quare persuasum sibi habebant exauditum iri tales preces populi resipiscientis, qui antea ob fidem neglectam poena affectus erat.

§. 4. Samuel, David, Salomo eorumque aequales.

His temporibus turbulentis, natus est vir quam maxime memorabilis, *Samuel*, quem precibus a Deo imperatum esse jam nomen declarat, sed insuper 1 Sam. I. narratur. Novum quasi gentis hebraeae cum eo incipit aevum. Propheta erat quales Moses populo suo promiserat et scholam vel instituit vel auxit, in qua interpretes legis divinae instruebantur, qui populum docerent, monerent, consolarentur, simulque cantui sacro praeeffent. Talis enim fuit ordo prophetarum, qui ab hoc inde tempore apud Iudeos exstitit, et tot contribuit ad puriorem reddendam omnem de moribus doctrinam et nostram etiam de precibus, ut suo loco videbimus.

Samuelem igitur a Deo populo suo datum esse, memoriae proditum est. Ratas esse jubet Deus preces matris Hannae, quae post natum filium pulcherrimum canit carmen, 1 Sam. II, 1 - 10., quo Deo gratias agit pias et ejus fortitudinem pulcherrime laudat. Puer Deo consecratus, et cum adolevisset, ab eo vocatus ac propheta constitutus est. Omnem inde ab eo tempore laborem suscepit, ut populum suum meliorem redderet. Saepissime Deum pro populo suo invocat, ut propitius sit, et peccata iis condonet

met, e. g. 1 Sam. VII, 5. 8. 9. XII, 14 - 25. simulque suos docet, Deum neminem amare, nisi eum, qui morem gerat praeceptis divinis. Quin imo, si locum 1 Sam. XV, 22. obiter consideraveris, docuisse videtur, obedientiam erga praecepta divina praestare sacrificiis; at connexu tamē rerum paulo accuratius inspecto apparet, praecepta divina hoc loco Samueli non esse leges morales, sed iussa divina regi Saulo a propheta patefacta, ea nimirum, ut omnes Amalecitas extirpet. Samuelis quoque de moribus doctrina imperfecta et haud raro sanguinaria fuit, sed non est nostrum de hac re inquirere. Sufficiat monere nihil fere novi, quod sciam, Samuelem sententiis de precibus addidisse, multa tamen ab eo esse sparsa, quae uberrimos in posterum protulerunt fructus. Magna praeterea putata est Samuelis apud Deum auctoritas, quod abunde patet ex exemplo supra laudato, 1 Sam. XII, 14 - 25., ubi Deum Samuelis precibus motum tempore messis tonitrua (*תִּלְךָ*) edidisse et imbræ cadere fecisse legimus.

*David*, vir multis virtutibus ornatus, quamquam non caret vitiis, insignem in historia nostra meretur locum. Magnam sane *Psalorum* composuit partem, licet non omnes ejus nomine inscripti ab eo profecti sint. Multi alii regis exemplum secuti hymnos fecerunt pulcherrimos. Primum inter Davidis imitatores locum facile *Asaphus* obtinet. Sed omnium *Psalmistarum* de precibus sententias brevitatis causa in unum complecti mihi liceat.

Plurimi sane psalmorum pro precibus habendi sunt; modo enim poeta Deum laudat, ejus benignitatem et magnitudinem celebrat, Ps. XXXIII, CIV, CXLVI, CL; modo auxilium ejus implorat, aut sibi, aut populo tutelae suae commisso, Ps. LIV, LIX, LX; modo gratias ei agit pias pro beneficiis acceptis, Ps. XXXIV, XL; modo peccatorum onere oppressus a Deo vult expiari, Ps. VI, LI; modo Dei benigni clementiam, Ps. CXLIII; modo Domini omnipotentis iram expetit, Ps. CIX, 6 - 19. LXIX, 22 - 29. et CXLIII,



CXLIII, (in quo omnia haec fere conjunctim continentur). Denique quidam psalmorum ad usum publicum destinati erant, v. c. Ps. XCII, secundum inscriptionem, si illa genuina est, et Ps. CXLIX, CL.

Pari modo rationes, quibus sacri poetae Deum ad audiendas preces procliviorem reddere student, pro argumenti diversitate variae sunt. Modo poeta gratias in publica populi concione Deo promittit, e. g. Ps. XXXV, 13. LVII, 9 - 12. LXXXVI, 11. 12., modo justitia sua et innocentia Ps. VII, 4 - 6. 9 - 10. XXVI, LXVI, 18., modo benignitate et liberalitate divina, tot exemplis conspicua, nititur, Ps. XXXI, modo idolorum cultores puniri vult, ut cognoscant potentissimum esse Jehovah, et ne populus divinus opprobrio sit hostibus suis, qui iidem Dei sint adversarii, Ps. LXXXIX, 6. LXXXIII, XLIV, X. etc.

Sicut in universum melior de moribus doctrina in psalmis invenitur, prior etiam de precibus est opinio, neque minus quae toto adhaerent vitia in parte reperiuntur. In omnibus vitae conditionibus Deum invocandum, omne auxilium ab eo exspectandum et pro omnibus beneficiis gratias ei agendas esse, saepissime docetur, e. g. Ps. CXXXVI, 1 - 3. David fuga salutem petere coactus, nil magis desiderat, quam appropinquare ad aram Dei, et adorare Jehovah in tabernaculo sacro, Ps. LXIII. Optime cum hoc Davidis carmine, Corachitarum illud Ps. XLII, conferri potest.

Quod vero *argumentum precum* attinet, poetae sacri Dei attributa accuratius cognoverant, ideoque melius scire poterant, quid a Deo sit petendum. Persuasum sibi habebant, animum pium et gratum magis Deo placere, quam sacrificiorum multitudinem, Ps. XL, 7. L, LI, 18. 19. Ita e. g. Ps. CXIX, 33 - 58. poeta a Deo viam justitiae sibi monstrari, se ad virtutem excitari et a vitiis prohiberi precatur. Quodnam precum argumentum purius esse potest? Ab altera parte negari nequit, Davidem et aequales saepe talia



Illa petisse, quae minime a Deo exspectari debent, cum e. g. Deum invocant, ut hostes puniat et crudelissime in eos agat. Sed sciendum est, non fuisse Davidi nostras de Deo notiones, et eum suos hostes, qui aut idolorum cultores, aut cives seditionis, aut persecutores iniqui erant, Jehovae simul adversarios putasse. Videmus ergo pro sua aetate satis puras fuisse Davidis sententias de precum indole et natura.

De magna denique *precum piarum efficacia*, psalmonrum scriptores minime dubitabant. Cum i.e. g. David Ps. VI, remissionem peccatorum a Deo expetisset, v. 9. 10. addit: “*Deus audit fletum meum, audit preces meas et benignae eas accipit*”. Sed bonorum tantum preces Deo gratias esse et axauditum iri idem David docet, qui e. g. Ps. LXVI, 18. ita canit: “*סִירֵי בְּלֹב רָאַתִּי דָמָנָה מֶנְהָה נֹאֲדִיר*” (*Redde mihi*”, ita Deus apud Asaphum Ps. L. populum docet, “*redde mihi vota tua, et tunc me invoca in angustiis et te servabo*”). Cum his praeterea conferri possunt, quae David Ps. XV. de viro, qui possit habitare in tentorio sacro, praedicat.

*Salomo* Davidis filius, poetarum sacrorum non ultimus, jure sapientissimus omnium regum Judaeorum appellatur. Varia ad nos venerunt scripta, quibus ejus nomen praepositum est, sed disputatur inter viros doctos de auctore plerorumque, quas vero lites dirimere non est hujus loci. Ad nostrum consilium sufficit colligere loca classica, quae de precibus in iis occurrunt, et enumerare, quae notatu digna videntur.

Templum Jehovae exstruxit splendidissimum et sacra, quae antea in tabernaculo foederis fieri solebant, nunc in templo fieri jussit. Magna solennitate templum consecratum est, qua occasione data Salomo publice preces fudit, (1 Reg. VIII, 22 - 53. 2 Chr. VI, 14 - 42.) e quibus optime cognoscere possumus, quomodo de adoratione Dei cogitaverit. In initio precum Deum laudat, cui nemo par sit, ne-

D que



que in terra, neque in coelo, et qui promissis Davidi factis fideliter stetisset. Tunc ait Deum non habitare in terra, nec coelum sedem solam sibi elegisse, multo minus igitur hoc templo ab hominibus exstructo cohiberi. Implorat Jehovah, ut animo benevolo has preces accipiat, prospiciat huic templo, audiat servos suos ibi precantes et rata esse jubeat petita ad coelum missa. Enumerat varia precum genera, *quae exempli gratia affere videtur*. In his sunt preces pro peccatis remittendis, pro servando populo ex calamitatibus publicis et privatis, bello, fame, peste aut aliis malis irruentibus. Nec minus si peregrinus Deum in hoc templo adoratum veniat, preces ejus exaudiri vult, quo cultus Dei veri inter omnes populos propagetur. Tales preces et sacrificia cum iis conjuncta Deo grata fuisse a Chr. VII, 12-22. narratur. Deus ipse Salomoni in somnio appareret se preces ejus audisse ait easque ratas fore promittit. Ita hoc exemplo rex cives suos docet, Deum ubicunque presentem audire preces pias et magis animum, quam gentem praecantis respicere, et videmus præterea, quaenam precum genera tum temporis usitata fuerint, et quaenam Deo grata esse confusus sit Salomo.

Alias pulcherrimas Salomonis preces legimus 1 Reg. III, 6-9. Gratias Deo agit pro beneficiis in ipsum et Davidem patrem cumulatis et animum obedientem a Deo petit, ut intelligat, quid sit rectum et justum, quo populum sapienter regere possit. Nec minus has preces sibi gratas esse Deus ipse ait, qui Salomoni in somnio appareret et se preces ejus impleturum esse promittit \*), quia neque longam vitam, neque divitias, neque necem hostium sibi expetisset. Eas

\*) De his verbis et eorum explicatione quidquam addi non opus est. Neminem enim fugit scriptores facros Deum saepius loquentem inducere et ea, quae ex eventu colligi poterant, aut quae ipsi cogitabant, ei tribuisse. Idem est ac si auctor libri dixisset, grata fuisse Deo has Salomonis preces ob præclarum argumentum.



Easdem de precibus sententias, quas jam ex his exemplis probe cognoscere possumus, in scriptis Salomonis saepissime invenimus. In *Proverbiis* et *Ecclesiaste* plura occurunt loca huc pertinentia, quorum unum vel alterum afferam.

Secundum ea, quae Prov. XV, 8. leguntur, sacrificia impiorum Deo displicent et piorum preces ei jucundae sunt. Ibid. v. 29. procul abesse dicitur Deus ab impiis, proborum vero preces exaudire. — XXI, 3. legitur, vitam honestam Deo placere praे omnibus sacrificiis, et idem Eccl. IV, 17. — Prov. XXX, 7-9. auctor duo beneficia a Deo expetit, primum, ut eum prohibeat a mendacio et fallacia, et deinde, ut eum neque pauperem neque divitem reddat, sed rebus ad vitam sustentandam necessariis instruat, ne rerum affluentia Deum obliviousatur, seu pauperie ad furtum permoveatur. Quod magis est, XXVIII, 9. Deum abominari docet preces eorum, qui nullam legis rationem habeant. Locus vero summi momenti et in historia nostra nullo modo praeterreundus, occurrit Eccl. V, 1. 2. Praeclare hoc loco libri auctor in precibus faciens brevitati studere jubet. Non festinandum esse, ait, ad preces fundendas et bene considerandum, quid sit loquendum coram Deo; Deum enim versari in coelis et nos in terra, i. e. Deum multo supra nos elatum esse, non igitur decere inconsiderate precari. Proverbium addit pulcherrimum: “*verborum multudine cognoscitur stultus*” \*).

Quae

\* Sed forsitan totus hic locus de votis est explicandus. Non negari potest, melius ita cohaerere v. 1. 2. cum sequentibus et vox יהוה utrumque sane significare potest. דבר לְפָנֵי saepius significat promittere e. g. Gen. XXI, 1. XXIV, 7. Sed דבר hac significatione construi solet cum עַל, v. c. 2 Chr. XXIII, 3. nusquam vero, quod sciiam, cum לפני. Deinde in hoc nostro libro, sicut in *Proverbiis*, non semper accuratus sententiarum n.



Quae cum ita sint, nemo negabit, Salomonis de precibus sententias, laudata ejus sapientia dignas, puritate omnia, quae ante eum tradita erant, longe superasse. Sed non omnes Judaeos, quin imo neminem fere excepto Salomone, ita de precibus et sacrificiis cum iis conjunctis cogitasse, facile quisque suspicabitur, et historia quoque temporum, quae mox secuta sunt, aperte docet. Nec mirum hoc videri potest, nam semper inter Judaeos res ita se habuit. Meliores cognitiones quovis tempore apud paucos tantum repertae sunt, et semper fere extiterunt viri, sapientia et doctrina aequalibus suis superiores, sed omnes statim ad meliorem cognitionem venire non poterant, quippe qui idonei nondum erant ad intelligenda sapientiorum reperta. Talis vir fuerat Moses, talis fuit Samuel, Salomo et omnes, qui prophetarum nomine complectuntur.

Liber *Jobi* non ante Salomonis aevum et forsan serius scriptum esse videtur. Ad eandem fere quaestionem respondet, quam auctor Ecclesiastis sibi proposuerat. Multa in hoc libro praeclarо occurunt loca, quibus sapientia, potentia et justitia divina celebratur, et praeterea de precibus huc pertinent loca quaedam, quibus Deum non audire preces improborum docetur, e. g. XXXVII, 9 - 10. XXXV, 12. 13. “*Quaenam enim*, ita *Jobus* l. 1. exclamat, *spes potest esse improbo. Num putas Deum audire preces, quas angore oppressus precatur?*” Bonum esse oportet virum, qui felicitatem a Deo exspectat. Haec summa videtur totius libri et bene cum his convenient, quae sub finem libri c. XLII, 8. leguntur. Deus *Jobi* adversarios, in quibus nominatim Eliphaz, alloquitur eosque monet, ut holocausta offerant Jobumque adeant, qui pro iis deprecetur, se enim illius rationem habiturum esse, quo agnoscant quam stulti fuerint aliter de Deo cogitantes ac *Jobus*.

## §. 5.

xus quaerendus est, quare interpretationem in textu datam praefero.



## §. 5. Prophetae.

Post Salomonis mortem statim tempore secuta sunt quam maxime infausta. In duo regna *Judeorum* et *Israelitarum* divisa est civitas. Magis magisque recedere coepit populus a lege mosaica, idola adorare et Deum ejusque praecpta oblivisci. Plurimi regum Israelis populo malis precierunt exemplis, quae subditi cupidissime imitati sunt. Judaei et Israelitae invicem sibi infensi, finitimas expugnationem civitatis faciliorem reddiderunt. In communi hac perversitate existiterunt viri bonis moribus conspicui et ingenio omnibus aequalibus praefrantiores, populumque docendo et admonendo ad meliorem frugem reducere studuerunt. Oraculis, quae simul ediderunt, aut morum perversitatem reprehenderunt poenasque divinas annuntiarunt, aut populum resipiscerent et ad Jehovam revertentem consolati sunt. Tales erant *Prophetae*, quorum Scholae, ut supra vidimus, a Samuele originem duxerunt. Multa eorum scripta, seu vaticinia variis temporibus edita, ad nos pervenerunt, e quibus ipsorum sententias eruere possumus. Sed neque ordo chronologicus variorum oraculorum, neque acurata quidem prophetarum, quorum scripta supersunt, series satis certe a nobis indicari potest, et saepissime viri docti de auctore singuli cuiusdam oraculi dissentient. Quae cum ita sint, liceat mihi prophetarum omnium de precibus doctrinam generalibus quibusdam observationibus complecti.

Saepissime prophetas ~~veba~~ ad Deum fecisse, preces supplices fudisse et deprecantes pro civibus, legimus, quod jam *Eiae* exemplo, 1 Reg. XVIII, in N. T. a Jesu apud Luc. IV, 25 et a Jacobo V, 17. laudato, patet. *Jesaias* prophetarum celeerrimus, irruente in Judaeam Sanheribo, Assiriae rege, XXXVII, 4. ab Hiskia rogatur, ut preces fundat pro iis, qui superflint. *Jeremias* XVIII, 20. se stetisse coram Deo pro civibus suis ait. *Daniel* IX, 4 - 18. confitetur magna esse populi sui peccata, pro quibus sibi

et



et civibus justae luendae sint poenae; at propitium esse petit Deum et recordari populi sui, qui non propria iustitia sed divina clementia nitatur, eosque in patriam redire pati.

Quantam vero prophetae eorumque aequales his precibus tribuerint *efficaciam*, abunde cognosci potest ex iis, quae rerum tum temporis gestarum scriptores biblici, una cum prophetis ipsis, seu iis qui eorum vaticinia collegunt, de hac re tradiderunt. Persuasum sibi habebant, prophetas a Deo missos esse, adeoque nihil non per eos impetrari posse, et exauditum iri preces ab iis fusas. Ita in libro 1 Reg. saepissime preces Eliae exauditas esse legimus. Magna iis tribuitur vis et efficacia, quod imprimis ex exemplo supra laudato conspicuum est. Narratur enim precibus Eliae Deum motum esse, ut, cum per tres annos continuos coelum clausum fuisset, pluviam iterum dimitteret. Sed quod magis est, Eliam precibus puerum mortuum refuscitasse legimus, 1 Reg. XVII, 17 - 24. aliaque miracula patrasse, eo consilio, ut Baalis cultores pudore afficerentur. Quocunque modo haec intelligenda sint, semper probant, quae nos iis efficere voluimus. Eandem caeteros prophetas de precibus suis fovisse opinionem ex multis locis patet, et de Daniele nominatim ex iis, quae ipse IX, 20 - 23 memoriae prodidit, cognosci potest, angelum nimirum divinum ipsi apparuisse et bono animo eum esse iussisse, cum Deus exaudisset ejus preces.

Prae omnibus aliis generibus *preces pro remissione peccatorum* solennes erant, quod supra jam Danielis exemplo vidimus. Sed prophetae etiam prioris aetatis hujusmodi preces fecerunt. *Jonas* e. g. ad fidem libri Iui Ninivitis praedicare jubetur, cum vero non obedisset, a Deo punitur. Poenitet eum peccati commissi, ad Deum precatur et exauditur. Mirifice modo servatus ad Ninivitas proficiscitur, eosque ad poenitentiam permovet. Quocunque modo hunc librum intelligamus, sive parabolam putemus



putemus, sive alio modo interpretetur, summa ejus haec est: Deum punire homines non obedientes, condonare vero peccata iis, quos malefactorum poeniteat et qui erroris veniam petant, magnam adeoque esse vim hujuscemodi precum, at poenitentiam tamen et odium peccatorum requiri, quo Deus peccata condonare possit et mala avertere velit, I, 13. 14. II, 12 - 18.

Sed *Dei etiam iram* interdum expetunt prophetae, v. c. *Jeremias*, cui a populo suo multa iniqua erant perferranda. Vixit hic propheta tempore quam maxime infasto, quo Judaei abducti sunt in exilium. Populus a sacerdotibus, regibus et falsis prophetis seductus, gravissime ei obstitit in fungendo munere, et saepius in vincula eum conjecit. Petit ergo a Deo, ut summo supplicio afficiat homines, qui tot mala in prophetam bene meritum congererint, e. g. XVIII, 19 - 23. XV, 15. Ne vero false interpretetur haec loca notandum est, prophetam poetarum orientalium more audacius loqui, nec irasci de injuriis privatis, sed conqueri de populo, quod non velit ab eo corrigi. Si haec observamus, facilius prophetam excusabimus.

*Docent porro prophetae quales esse debeant homines, quo Deus exaudire posse eorum preces* et haec minime negligenda sunt, ut, quae de precum efficacia et necessitate eos dixisse supra vidimus, rite intelligamus. Pulcherrime hac de re locutus est Jesaias XXIX, 13. sq. Displicere ait Deo preces externas, quae ore tantummodo fiant, nec ex pio animo progrediantur; punitum iri populum, qui coactus tantum labiis et ore Jehovah adoret, animum vero habeat ab eo alienum, cujusque religio praceptis humanae doctrinae contineatur. “*Non audio preces vestras, quamvis innumeratas*”, ita Jehovah Jes. I, 15. loquitur, “*nam manus vestrae sanguine pollutae sunt*”. Similia prorsus apud alios prophetas leguntur. Deum melius noverant (v. Jes. XL.) et clarius ejus voluntatem perspexerant. Animum pium et vitam honestam ante omnia



nia alia Jehovahm requirere docent, Jes. I, 11. 12. LVIII, LXVI, 1 - 4. Am. V, 22. 23. Hof. VI, 6. Mich. VI, 6 - 12. Mal. I, 10. II, 13. etc., nec placere ei preces, sacrificia, dies festos, jejunia etc., nisi pietatis studio conjuncta sint, sacrificia et cultum externum divinitus quidem instituta et rite obeunda, sed virtute simul opus esse, nec sufficere genu flectere ad aram Dei et sacrificia offere, quin imo Deum odio habere improbum quamvis plurime sacrificantem. Jeremias praesertim XV, 1. aperte docet, Deum ne Mosen quidem et Samuelem deprecantes pro tali populo auditurum esse. Idem a Deo jubetur non intercedere pro tali populo injusto, qui pravitati studeat Deique legatos audire recuset, v. VII, 16. XI, 14. XIV, 11. Virtus igitur ad Jeremiae doctrinam ante omnia colenda est, quo Deus prophetarum deprecationes exaudire possit. Virtutem autem apud Jeremiam non solum cultum Jehovahae externum legisque ritualis observationem, sed mentem simul probam, quae rectefactis studet, complecti, nemo negabit, qui ejus oracula sedulo perlegit, quin imo, qui unicum caput VII acurate inspexit, quanquam quisque statim videt, cultum Jehovahae prophetis pro virtute cardinali, et idolatriam pro summo esse vitio, quod cum adulterio comparant.

Denique prophetae saepissime de *aurea quadam aetate* vaticinati sunt, in qua omnes populi verum et unicum Deum in templo Hierosolymitano adoraturi sint, ac pulcherimis imaginibus felicissimum hoc aevum depingunt. Aeterna erit pax, invicem se amabunt populi hucusque separati, tunc verum cultu Jehovahae in unam magnam Dei familiam conjuncti. Cfr. Jes. II, 2 - 4. Mich. IV, 1 - 3. Zach. VIII, 20 - 23. Jes. XI, 1 - 10. LVI, 1 - 8. Jerem. III, 17. etc.

Postremo prophetae *exempla quoque precum ab aequalibus fusarum memoriae prodiderunt*. Jesaias v. c. XXXVII, 15 - 20. auctor est, *Hiskiam regem*, irruente Sanheribo in Judaeam, Deum potentissimum coeli terrae-

que



que dominum invocasse, ut populum suum servet ab hoste superbo, qui alias multis civitates jam subverterit. "Serva nos, ita precatur, ut omnia regna agnoscant te Jehovam solum esse Deum". His precibus Deum motum esse annunciat propheta et promittit regi, fore, ut servetur. Pari modo non ita multo post idem Hiskias gravi morbo afflictus, facie contra parietem versa, et lacrimas fundens, pro recuperanda sanitate ad Deum precatur, a quo petit, ut memor sit vitae probae, cui semper studuerit. Quas preces iterum exauditas esse Jes. XXXVIII, 2 sq. legimus. Recuperata sanitate Hiskias v. 10 - 21. praeculum canit carmen.

Conditio externa populi Hebraei interea mutata est. Expugnata Palaestina et diruto templo, deducti sunt in *exsilium*, seu, uti vocant, *captivitatem babylonicam*. Versari coeperunt inter populos peregrinos et necesse erat mores et sententias mutari. Sed quod semper fere evenire solet, etiam nunc accidit, — Hebraei, fortuna adversa ad resipiscentiam permoti, ad meliorem frugem redierunt, omnia mala, quae ipsis acciderant, a prophetis edocti propoenitis divinis habebant et eam ob causam *preces*, quas *poenitentiales* dicunt, Danielis aliorumque prophetarum, qui in exilio vixerunt, tempore, in tanta erant auctoritate. Denuo Jehovah solum adorare incepérunt et inde ab hoc tempore nullo modo ad cultum idolorum deduci potuerunt. Supersunt in psalmis et prophetarum scriptis carmina quaedam, quibus desiderium patriae et montis Zionis pulcherrime descriptum est, e. g. Ps. CXXVI et CXXXVII. Supersunt pariter in *libris apocryphis* quaedam formulae precantium, quae secundum inscriptiones in hoc tempus cadunt, e. g. *preces trium virorum in fornace eamenti*, *preces Assiriae et Manassae*; sed nullius momenti et forsan spuria etiam et seniori aetate scripta videntur, non enim convenient conditioni precantium et nihil continent nisi talia, quae a poetis prioris aetatis sae-

E

pius



pius dicta erant. Quare hisce tantum earum mentionem facere voluimus, praesertim cum graeco solum idiomatae supersint nec inter scripta Judaeis sacra numerandae.

§. 6. Tempus inde a reditu ex exilio usque ad Jesum Christum.

Tandem a *Cyro*, Asiae victore, Judaeis potestas in patriam redeundi facta est, qua vero cum non omnes ute-  
rentur, ab hoc inde tempore inter omnes populos dispersi reperiuntur Hebraei. Ea vero pars, quae in Palaestinam reversa est, cultum Jehovae, sacrificia et dies festos resti-  
tuit templumque denuo exstruxit. *Haggai*, *Zacharias* et *Maleachias* prophetarum munere fungi perrexerunt, ad templum restituendum admonerunt et felicius promiserunt aevum. Novo templo sacrificiis inaugurato, *Esras* omnia restituit sacra. *Esras* et *Nehemias* supplices pro peccato-  
rum remissione faciunt preces, quas cum jejunio omnibus  
que tristitiae signis conjungunt, cf. Efr. VIII, 21. IX, 6-  
15. Nehem. I, 4-11. IX. In ultimo loco narratur, Israe-  
litas convenisse et uno die quater Deum adorasse pro pec-  
catorum remissione, additis jejunio et moeroris signis.  
Inde a v. 5. usque ad finem Levitarum legimus preces, pro  
populo factas, quibus Deus laudatur, beneficia in majores  
ab Abrahami inde temporibus cumulata referuntur, pecca-  
torum editur confessio et misericordia divina imploratur.  
Quibus omnibus locis etiam his temporibus *preces poenitentiales* prae omnibus valuisse probatur. Populus peccato-  
rum et praecipue idolatriae memoria graviter afflictus  
nullas alias preces magis necessarias putabat; id quod mi-  
rum videri non potest, si historiam Judaeorum tenemus  
et ad scripta prophetarum animum advertimus.

Sed jam ad ea usque tempora pervenimus, ubi *scripta Hebraeorum sacra*, quae duces hucusque secuti sumus,  
*nos relinquunt*. Quae quidem inter tempora et Christi ae-  
tatem magnum intervallum interest, in quod libri, quos

*Apo-*



*Apokryphos Veteris Testamenti* appellare solent, et qui graeco tantum idiomate scripta ad nos venerunt, incidentur. Sensu proprio historiae nostrae biblicae partem priorem hic finire oportet, sed cum libri apokryphi haud parvi sint momenti, ad melius intelligenda ea, quae Jesus et Apostoli tradiderunt, non absonum, quin imo necessarium mihi videtur, pauca quaedam, quae huc pertinent, ex his libris annotare.

Pars horum scriptorum in Aegypto, pars in Palaestina in lucem prodiisse videtur. *Liber Sapientiae* in cuius prima parte, c. I. - X. Salomo sapientissimus rex loquens inducitur, simillimus proverbii et sine ullo dubio in Aegypto scriptus est a Judaeo quodam, tam scriptorum sacrorum, quam philosophiae Platonicae et Pythagoreae cultore. Sapientiam pulcherrime depingit eamque sibi dari a Deo petit c. IX (seu Salomonem regem precantem inducit) et saepissime Deum alloquitur.

*Tobias*, cuius historia in Palaestina scripta esse videtur, pius est vir, summae patientiae exemplar. Oculorum lumine orbatus non conqueritur, sed Deum colit, cui per omnem vitam gratias agit, II, 13. Deum implorat, ut condonet ei peccata et mortem det, III, 1-6., quas preces Deus exaudit aequa ac preces *Sarae*. Angelus Raphael docet *Tobiam filium*, diabolum illum Asmodi, qui septem Sarae viros interfecerat, abstinentia, jejunio et precibus vinci posse ac nemini nisi impiis nocere, VI, 17-23. et alio loco XXII, 9. idem ait, preces animo benevolo erga pauperes et jejunio conjunctas praefastare thesauris pretiosis, dona egenis data servare a morte, delere peccata et longiorum reddere vitam. Haec summa totius libri videtur. Praeterea Raphael se preces a Tobia factas ad Deum tulisse ait XII, 12. col. III, 1. 25. eumque ad gratias Deo agendas cohortatur. Quare recuperato oculorum lumine et filio servato omnes per tres horas prostrati Deo gratias agunt et Tobias pater *carmen canit*, quo Dei beneficia



laudat, ac de externis populis Jehovae fidem habituris vaticinatur, c. XIII. Videmus igitur pulcherrimas de precibus sententias superstitione mirum in modum mixtas fuisse et Hebraeos, ea quae apud exterros de angelis bonis et malis didicerant et cum religione antiqua conjunxerant, ad preces etiam transtulisse, in quibus id praecipue memoratu dignum est, quod de diabolo Asmodi precibus vito, et de Raphaele preces ad Deum perferente, legitur.

*Judith*, dum Holofernem amore seductum interficere parat, a Deo petit, ut felicem huic conatui det exitum, c. IX, et Deus eam pulchritudine ornasse dicitur. Facinore patrato carmine triumphali Deo gratias agit; atqui has quoque preces Deo acceptas fuisse scriptori nullum dubium erat. — Eadem fere aetate formulae, *precum Affariae* etc., de quibus supra diximus, scriptae esse videntur.

*Maccabaeorum* tempore magnam putatam esse precum, pro salute aliorum a piis hominibus factarum, apud Deum auctoritatem ac efficaciam facile cognoscitur inspecto loco 2 Macc. III, 31 - 33., ubi Deum, precibus et sacrificiis Oniae commotum, Heliodorum aegrotantem servasse narratur. Sed quod magis est, hoc tempore preces pro defunctis jam in usu fuisse ex ejusdem libri cap. XII, 39 - 46. apparet. Quanta igitur jam tum temporis fuit superstitione! Praeterea ex hac nostra periodo in libro *Baruch*. III, 1 - 8. formula quoque precum pro remissione peccatorum fusarum supereft; sed, quae in hoc libro narrantur, in aliud ae- vum multo antiquius incident, et proprius accedit argu- muntum ad oracula in exilio scripta.

At restat liber, <sup>qui</sup> primum facile inter omnes, qui apokryphi appellari solent, obtinet locum et jure in summo semper habebatur honore — liber *Iesus Sirachidae*. Cir- citer CL annos ante Christum natum a Judaeo quodam Hierosolymitano scriptum esse patet ex L, 1. Multa in hoc libro leguntur praeclara de precibus loca, nec tamen supra omnem superstitionem elata. Collatis locis XXXV,



13 - 19. et XXXVIII, 9 - 15. appareat, auctorem hujus libri magnam tribuisse precibus vim. Aegrotum, qui Dei auxilium implorat et medicum arcessit, sanitatem recuperatum esse docet. Deum ait audire preces viduarum et pupillorum, qui conquerantur de injuria, qua affecti sint, et punire oppressores propter preces affictorum. Pulcherrime alio loco docet, Deum invocandum et auxilium ejus implorandum esse, ut prospere cadant conatus nostri. C. XXXVI Dei iram in hostes populi sui implorare non dubitat et alio loco XVIII, 1 sq. docet, Deum iis retinere peccata, qui injurias sibi allatas ulciscantur. Porro inutiles esse ait preces, jejunia, sacrificia, nisi pio conjuncta sint animo, neque condonare Deum peccata hominibus, qui precentur quidem pro remissione illorum, at nova tamen committant facinora, XXXIV, 27 - 31., virtutem et obedientiam magis Deo placere, quam sacrificia, benevolam ergo alios mentem optimum esse sacrificium eucharisticum et recedere ab impietate optimum sacrificium piaculariorum, nihilominus sacrificia esse offerenda et Deo placere, XXXV, 1 - 9. Denique multis locis ad gratiarum actionem et Dei laudem admonet, e. g. XXXIX, 19 - 20. etc. et in precibus fundendis brevitati studere VII, 15. suadet.

Quae omnia, quibus multa alia insuper addi possunt, si accurate ea inspicimus, verum esse probant judicium de Siracho supra a nobis allatum, et ita priorem historiae nostrae periodum ad finem usque perduximus; nam *Philonis Josephi* aliorumque, qui ante Christum seu non ita multo post vixerunt, Hebraeorum sententias affere, non est hujus loci. Sed pauca tamen addenda sunt de opinionibus, quas *Christi apostolorumque aequales* de precibus fovebant, ut transitum his nobis paremus faciliorem ad Novum Testamentum. Non opus erit exemplis probare, apud eos quoque sancte servatam esse precandi consuetudinem; magnam enim eos tribuisse precibus vim et pro necessariis eas habuisse, ex variis N. T. locis intelligitur. Vide ante om.




omnia Zachariae, patris Johanni Baptistae, exemplum, Luc. I, 13. II, 64 - 68. Non in templo solum Hierosolymitano Deum adorabant, sed *proseuchas* etiam exstruxerant et horis statim, tertia, sexta et nona preces fundere solebant; *Pharisei* autem externam sanctitatis speciem prae se ferre longisque uti precibus ac in triviis orare consueverant. De his omnibus tamen infra ad singula loca, quibus Christus suam doctrinam Judaeorum erroribus opponit, copiosius videbimus.

## PARS SECUNDA.

## JESU CHRISTI ET APOSTOLORUM DE PRECIBUS DOCTRINA.

## CAPUT I.

## J E S U S C H R I S T U S.



## §. 7. Exempla precum a Jefu Christo factarum.

Talem igitur Christus accepit de precibus doctrinam, at pro divino suo ingenio non acquievit in his, sed uti omnem de moribus doctrinam puriorem reddere studuit, ita huic etiam ejus parti perficiendae operam dedit, et non solum ipse praeclaras fecit preces, sed discipulos quoque super hac re edocuit.

Quod primo ad preces ab ipso fusas attinet, neminem fugit auctorem religionis, quam profitemur, saepissime ad Deum patrem coelestem precatum esse; multa enim in

in evangeliis obvia habemus exempla. Duplex hujusmodi locorum genus distingui potest; modo enim narratur *tantum Jesum preces fecisse*, modo etiam *verba, quibus usus sit, afferuntur*.

Prima exempla erunt *ea, e quibus tantum cognoscimus auctorem religionis nostrae preces fecisse*. — Ejusmodi exemplum legimus Marc. I, 35. coll. Luc. IV, 42. Narrat Marcus, Jesum multo mane, quum dies immineret, ( $\piρωτ\acute{e} \acute{e}ννυχον λιαν$  —  $\gammaενομένης ημέρας$ , ut est apud Lucam) in locum solitarium ( $εἰς ἔρημον τόπον$ ) se contulisse et preces ibi fecisse, ( $κάπει προσηγύχετο$ , quod Lucas omittit). Videmus ergo Jesum nonnunquam in locum solitarium se contulisse ad preces ibi facendas, quod idem ex duobus aliis locis Math. XIV, 23. et Marc. VI, 46. apparet, quae indicasse sufficit. — Aliud exemplum occurrit apud Lucam VI, 12., ubi narratur Jesum in montem se contulisse ad preces ibi facendas *et noctem insomnem in precibus ad Deum faciens transegisse*. *Προτευχὴ* hoc loco non preces sensu strictissimo sed latiori significare videtur; non enim verisimile est, Jesum per totam noctem precatum esse, improbat nimirum ipse preces nimis longas, ut suo loco videbimus. Quare locus noster ita intelligendus est, ut credamus, Jesum noctem piis meditationibus, quibuscum preces conjunxerit, transegisse. Interdum quosdam apostolorum secum duxit, qui precibus adeissent, v. c. Luc. IX, 28. et nonnunquam omnes apostoli aderant, ut Luc. XI, 1.

Ex innumeris fere locis videmus, solenne fuisse Iesu Christo *precari ante coenam*. Quae preces *eucharisticae* fuisse videntur ad gratum Deo pro ciborum munere testandum animum. Solennes fuisse Christo hujusmodi preces, ejus rei id in primis testimonium est, quod Lucas XXIV, 15 - 15. in narratione illa de duabus discipulis Emauntem proficiscentibus, quibus praceptor in vitam reversus itineris socium se adjunxit, memoriae tradidit. Apostoli Jesum, quem in itinere non cognoverant, modo quo



quo panem frangit, (*ετ τη υλαστει το αρτον*) et precibus ab eo factis agnoscent. Confitendum est quidem hunc locum alio etiam modo explicari posse et non necessario statuendum esse apostolos Jesum signis supra allatis agnoscere; nam *υλαστει το αρτον* simpliciter significare potest totam coenam, ita ut sensus sit, apostolos Jesum inter epulas agnoscere; sed nihilominus ex hoc loco consuetudo Domini nostri precandi inter epulas probari potest, praesertim cum multa alia loca addi possunt, quibus idem narratur. — In duplice illa narratione de magna hominum copia, paucis alimentis a Jesu Christo mirifice satiata, ab omnibus evangelistis (vide Math. XIV, 19. coll. Marc. VI, 41. Luc. IX, 16. Joh. VI, II et Math. XV, 56. coll. Marc. VIII, 6.) eum preces fecisse eucharisticas traditum est. In priori harum narrationum Math. Marc. et Luc. eum in coelum aspexisse, quod precantis jam tum temporis erat gestus, addunt. — Pari modo Christus sacram coenam instituturus antequam panem et calicem apostolis porrigeret precatus est, ut tres evangelistae priores Math. XXVI, 26. 27. Marc. XIV, 22. 23. Luc. XXII, 19. 20. et cum his Paulus 1 Cor. XI, 24. 25. tradunt. Ad hanc Christi consuetudinem melius intelligendam ex Philone et Thalmudicis scriptoribus annotandum est moris semper Judaeis fuisse, cibum nullum aut vinum sumere, nisi prius Deo conditoris donatorique laudes egissent addita precatione. Non igitur improbat Dominus noster hanc Judaeorum consuetudinem precandi ante coenam.

Denique Jesum saepius, *cum in eo esset, ut miraculum ederet*, Deum invocasse, jam inde colligi posse interpretes putant, quod interdum manus eum imposuisse aegrotis legamus, ut Math. IX, 18. Marc. VII, 32.; sed quod sub hac voce intelligi forsan potest, alias disertis verbis narratur. Ita e. g. teste Marc. VII, 34. hominem surdum difficulter loquentem sanaturus oculis in coelum sublatis ingenuit, (*εσέγαξε*) seu Deum in auxilium vocavit. Oculos in



in coelum attollere (*ἀναβλέπειν*) solent, qui Dei auxilium implorant eique gratias agunt, cf. locum supra laudatum Marc. VI, 41. et multa alia mox laudanda. Suspirasse Jesum ait Marcus, quia non usus verbis, animo tantum et mente precatus est, seu ut alii volunt, quia cum magno animi ardore verbum *τηλεον* pronuntiavit.

Alius locus, qui idem clarius probat, legitur Joh. XI, 41. 42., ubi non solum Jesum antequam Lazarum in vitam revocaret preces fecisse, sed et verba quibus usus fuerit, seu certe summam precum legimus. Oculis in coelum sublatis „*gratias tibi ago pater*, ait, *qui preces meas ratas esse voluisti. Scio quidem te solere precibus meis annuere, sed populi praesentis causa precatus sum, ut cognoscant me a te missum esse.*” Non ergo opus erat Christo auxilium Dei implorare, nam Deum precibus suis annuere, et vota sua rata esse jubere, bene sciebat; sed precatus est potius ad refellenda calumnia eorum, qui eum ope daemonis miracula patrare dicebant, Matth. XI, 54. XII, 24. Marc. III, 22. Luc. XI, 15.

Jam ad alterum locorum genus supra constitutum transire possumus et exemplo statim allato viam nobis munivimus. Supersunt enim, ut jam ex hoc exemplo patet, *plures Jesu Christi preces*. Insignem in his locum obtinent, quas apud Joh. c. XVII legimus. Christus, quum mortem sibi appropinquare videret, coram discipulis, quibus discessum suum praedixerat et spiritum sanctum promiserat, preces facit pulcherrimas, Deo rationem reddit muneric peracti, deprecatur pro apostolis aliisque religionis suae sectatoribus ac Deo suam suorumque causam commendat. Adesse ait tempus, quo e vita sibi sit discedendum, (*ελήλυθεν ή ὥρα*) et petit a Deo, ut honorem filii manifestam faciat hominibus (*δοξαστόν σε τὸν υἱὸν*). Jam quaeritur quae-nam sit illa δέξη, quam Jesus a Deo petit. Multum de hac re interpretes inter se discrepant, dubitanter igitur meam sententiam proferam.

F

Jesus



Jesus δόξαν illam tanquam praemium muneris, quo fide-liter functus erat, sibi expetit. Se Deum in terris illustrasse ait, perfecisse negotium sibi mandatum, dignitatem et megestatem Dei (σᾶ τὸ ὄνομα 1. q. 72) omnemque, quam ab eo accepisset, doctrinam iis tradendo, quos Deus ex tanta hominum copia (ἐκ τῆς πόσης) docendos et formandos ei tradidisset. Δόξα Θεοῦ, de qua Jesus loquitur, ad doctrinam ergo respicit, qua legatus divinus homines imbuit, et eodem etiam spectare oportet δόξαν, quam sibi a Deo expetit. Illustrari vult Jesus a Deo sicuti ipse Deum illustravit, quod nil aliud mihi significare videtur quam hoc: sicuti doctrinam abs te acceptam hominibus tradidi tuamque maiestatem illustravi, ita etiam fac me illustrari ab apostolis meis, quas in doctrina mea, quam tuam esse cognoverunt, hucusque crudivi, et evulgari ab ipsis doctrinam meam et legationem divinam. Ita omnia bene cohaerent et non sui, sed apostolorum causa omnes has preces Dominum nostrum fecisse appetet. Huic meae interpretationi non obstat videatur, quod v. 5. fibi hanc δόξαν jam ante mundum creatum a Deo datam esse ait, nam διδούσαι in N. T., uti Hebraeorum 1η, saepius significat destinare, e. g. apud nostrum infra v. 22. et epistola prima V, 11. Quare δόξαν illud non ad resurrectionem, seu felicitatem a Deo dandam spectare mihi videtur; non enim precatur dari sibi δόξαν a Deo, sed vult innotescere hominibus maiestatem et dignitatem a Deo jam ante mundum creatum legato divino *destinatam*, i. e. praedicari doctrinam, vitam et maiestatem suam ab apostolis. Tale praemium a Deo expetit, sicuti omnes homines potestati suae subjecerit, ut doctrina sua omnibus felicitatem pareat, cuius ea est ratio et conditio, ut Deum unum verum et legatum divinum Jesum Christum agnoscant. Jam ostendit se non iniqua petere, nam bene functum esse munere docendi sibi demandato, fecisse docendo, ut honor et maiestas divina in terris innotescat, et omnia sua dogmata ad patris honorem retulisse. Tum pro iis deprecatur, qui-



quibus sua opera doctrina divina innotuerat, qui eum pro legato divino habebant, et a quibus illustrari volebat.  
*„Non enim amplius, ita pergit, in hoc mundo versabor, sed hi inter homines manebunt, quum ego ad te proficiscar. Pater venerande, conserva eos in ea doctrina, quam tua auctoritate hominibus tradidi, (εν τῷ οὐρανῷ σε) ut sint consentientes sicut nos etc”.* Vult igitur apostolos mutuo invicem conjuctos esse amore, quare commendat eos patri coelesti, a quo petit, ut eos servet integros a scelere, stare faciat doctrina, qua sint imbuti, et legatos divinos veritatis nuntios inaugurate (*ἀγιάσειν*) velit, nam uti ipse a Deo missus, sic eos per terrarum orbem ad propagandam doctrinam coelestem se emisisse. Qua pro apostolis deprecatione finita, non pro his solum se precari fatetur, sed pro iis quoque, qui ab illis instituti sequerentur doctrinam suam, ut omnes consentiant sicut ipse et pater et credant se a Deo esse missum. Felicitatem a patre sibi datam se iis destinavisse ait et petit a Deo, ut sectatores sui secum sint et dignitatem maiestatemque, qua pater eum ornare voluerit, conspiciant ac fruantur amore, quo Deus praeceptorem afficerit, et quo ipse eos amplectetur \*). Conferri praeterea potest cum hoc loco alius apud Luc. XXII, 32., ubi Christus, qui Simoni praedixerat cupire et optare Satanam, ut apostoli fluctuentur et instabiles fiant, expetere eos, ut tamquam frumentum quasi cribro cerneret, addit, „*tua causa precatus sum, ne deficiat fides tua.*”

Alias Christi preces legimus Math. XI, 25 et 26, et loco paralelo Luc. X, 21. Oculis a tristi spectaculo imminentis urbium exidii averfis, gratias agit Deo laetas (*ηγαλλιστω τῷ πνεύματι καὶ ἔιπεν*, ut est apud Lucam,) his usus verbis: „*celebro te (ἐξομολογώμαι σοι) pater, coeli terrarumque summe moderator, qui meam hanc doctrinam, quam non capiunt, qui sibi multum sapere videntur,* (Pharisaei, sacerdotes et docti)

\*) Cf. Noesselti programma paschale an. 1782.



docti) *agnoscendam das indoctis* (i. e. apostolis simplicibus et ingenuis atque hactenus infantibus similibus, *μηπλοις*). *Sane laudo tuum hoc pater consilium et tuam voluntatem.*"

Neque minus precibus ad mortem subeundam se praeparavit et iis usus est ad reprimendum animi angorem. — Math. XXVI, 36 - 46. Marc. XIV, 32 - 42. et Luc. XXII, 40 - 46. memoriae prodiderunt, Jesum cum undecim apostolis in villam Gethsemane se contulisse et abiisse paululum a discipulis precandi causa. Ingenti dolore ac mortifera tristitia oppressus mortem sibi instare videbat crudelissimam, ab iis patiendam, de quibus optime meruerat. Amicus et discipulus jam in eo erat, ut hostibus eum proderet et summa afficiendus erat contumelia a civibus suis, quos tantopere amabat \*). Non igitur eum tristitia, qua affectus erat, dedecet nec opus est de angoris causis inquirere. Ne vero nimia tristitia opprimeretur, in faciem procubuit et ter Deum imploravit. Pulcherrima sunt verba, quibus animi sui desiderium pronuntiat: "Si fieri potest, ita precatur, (si tua decreta sinunt alioque modo saluti hominum prospici et opus mihi mandatum perfici potest) mi pater, averte a me mala imminentia (*τὸ ποτῆριν τὸ τέλον*); verumtamen non ad meam, sed ad tuam voluntatem omnia eveniant. Quando ita tibi visum est, ita altera vice prrecatur, ut non possint averti a me calamitates imminentes, sin opus est me bibere hoc poculum acerbum, age tua fiat voluntas". Deum itaque fortis suae arbitrum facit

et

\*) 1. Edward Harwood, on the Causes, which probably conspired to produce our Saviour's Agony. In Ej. Five Diversations. London 1772. pag. 197.

2. Anmerkungen über Christi Todeskampf im Garten etc. in den Beiträgen zur Beförderung eines vernünftigen Denkens in der Religion. Heft 3. pag. 129. et seq.

3. Henke, de eo quod imprimis ignominiosum fuit in supplicio Jesu Christi. Helmst. 1785. Iterum excussum in ejusdem opusculis academicis. Lipsiae 1802. pag. 137. et seq.

4. Eichhorn's Bibliothek Vol. IX. pag. 1012. et seq.



et paratus est omnia, quae patri coelesti visa sunt, perpeti. Talibus precibus animum suum confirmat ad vel pessima quaeque tolleranda, quod Lucas ita exprimit: “apparuit ei angelus a coelo missus, qui animum ejus corroboret”.

Cum his conferendus est locus simillimus Joh. XII, 27. 28. Jesus, alia quadam occasione data, eodem fere modo ad Deum precatur: “Animo perturbatus sum; quid igitur petam? Pater libera me ab imminentibus malis (ωρα i. q. apud Mathaeum et caeteros ποτίποι, tempus periculorum, periculum, calamitas); verumtamen propterea in haec tempora incidi. Fac, pater, ut honor tuus illustretur”.

Pulcherrimae denique preces Christi Luc. XXIII, 34. leguntur. Christus cruci affixus patrem implorat, ne imputet hostibus peccata, nescire enim quale committant facinus et ignorantia magis quam mala voluntate peccare. Quodnam precum argumentum pulchrius inveniri potest? Quin imo moriturus etiam Deum invocat, usus verbis “אָלֵה יְהוָה עַבְדָּךְ”! Ps. XXII, 2. i. e. Deus, Deus, cur ita me destitueristi! Miseram suam vicem deflet et auxilium divinum implorat. “Τετέλεσαι, perfectum es!”! omnia ad finem sunt perducta, ita magna voce exclamat, tibi, mi pater, (ἐις χεῖράς σου בִּידֶךְ) commando animum meum! Quae cum locutus esset animum exhalavit, Math. XXVII, 46 - 50. Marc. XV, 34 - 37. Luc. XXIII, 46. Joh. XIX, 30.

### §. 8. Oratio dominica.

At non solum Christus ipse precatus est, sed apostolos etiam docuit, quae a Deo sint expetenda, et rogatus ab iis pulcherrimam dedit precum formulam, quam Math. VI, 9 - 13. et Luc. XI, 2 - 4. legimus et orationem dominicanam adpellare solemus. Non opus est multis hanc formulam interpretari, omnia enim quae de ea dici possunt

a



a viris doctis saepissime jam allata sunt \*). Ad nostrum consilium sufficit argumentum formulae indicare et observationes quasdam generales addere.

Quod primum ad discrepantiam lectionis in Mathaei et Lucae recensione attinet, satis de ea locutus est Noesseltus et probavit, Lucam in tradenda rei occasione diligentiores fuisse Mathaeo, hunc e contrario in descriptione illius institutionis aut orandi formulae proprius ad Christi ipsius verba et sententias accessisse et in enarrando formulae argumento acuratius versatum esse. Lucas differte causam commemorat, quae Christo occasionem proponendi optimum in orando modum dederit, discipuli nimirum percunctantis quaestio, cum apud Mathaeum a generali Christi de precibus admonitione deferatur oratio ad formulam precum bene concipiendarum. Quare non dubitamus cum Noesselto hactenus Lucae primas deferre.

Initio precum Deus *pater noster*, qui es in coelis, appellari jubetur. A Deo sit principium, qui omnium bonorum est fons, coeli terrarumque summus moderator, sed idem benignissimus hominum pater. Αγιαδίτω τὸ ὄνομά σε, nobilitetur nomen tuum; ita enim vertere hunc locum cum Noesselto minime dubitamus. Nobilitatur autem nomen Dei, eo quod majestas ejus aliaeque eximiae virtutes ope religionis Christianae ab hominibus agnoscuntur. Idem fere his postulatur, quod Joh. XVII, 1. δοξάσθαι significat et sicut Christus ibi cum δόξῃ Θεῷ suam illustrationem, ita etiam hoc loco regni divini adventum cum eadem sententia conjungit; statim enim apponit ελθέτω ή βασιλεία σε, regnum tuum ad nos deferatur. Quid haec sententia secum velit per se perspicuum est. Neminem in litteris sacris vel mediocriter versatum fugit,

Pa-

\*) Cfr. Noesselt *observationes in orationem, quam vocant, dominicam, in exercitationibus ad sacrarum scripturarum interpretationem* Halae 1802, qui alias etiam interpretes laudat.



Bartholomaeus τὸς Θεοῦ, seu τὸς χριστοῦ seu τῶν ἀρχαῖων regnum veritatis per Messiam institutum significare, seu novam oeconomiam, omne opus, quod Christus tanquam legatus diuinus ad homines sapientiores, meliores et beatiores reddendos suscepit, quod regni imagine apud Judaeos frequentata representatur. Tale regnum venire dicitur, cum majora capit incrementa, ita ut voluntas divina fiat, sicuti in coelis sic quoque in terris, γεννθήτω τὸ θελημά σου, ὡς ἐν ἀρχῇ ναὶ ἐπὶ τῆς γῆς, quod precibus addi vult auctor formulae nostrae. Hisce suos a patre coelesti petere docet, ut omnia fiant ad voluntatem Dei, ut omnes homines obtemperent praeceptis divinis et nolint reprehendere providentiam summi numinis. Utrumque scilicet tertia haec sententia significare potest, at ob locum paralelum Math. XXVI, 42. praeferenda tamen mihi videtur ea interpretatio, ut θελημα τὸς Θεοῦ non ad praecepta divina, seu leges morales, sed ad decreta Dei in gubernando universo referatur, et sensum hujus formulae partis ita constituendum esse censeo, ut non petitio sed declaratio animi humilis insit, qui omnia regimini et providentiae Dei permittit: fac tu Deus, ut omnia in toto universo, et in coelis, et in terrarum orbe, ad tuam fiant voluntatem. Quarta quae sequitur sententia: τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιβίσιον δός ἡμῖν σύμερον, da nobis quovis die (σύμερον seu τὸ καθ' ἡμέραν, ut est apud Lucam) victum (ἄρτον i. g. δοκίμη de quovis alimentorum genere Ps. XLI, 10. CII, 5. et a. l.) ad vitam sustentandam necessarium (ἐπιβίσιον, seu ut aliis placet: *craustinum, posterum*, i. e. res ad vivendum postridie necessarias), non rerum affluentiam, sed necessaria tantum a Deo esse expetenda docet. Quintae sententiae: ναὶ ὁ φρέσκος ἡμῖν τὰ ὁφειλήματα ἡμῶν, ὡς ναὶ ἡμεῖς ὁφειλεύει τοῖς ὁφειλέταις ἡμῶν, remitte nobis peccata nostra, sicuti nos quoque remittimus debitoribus nostris, i. e. iis qui in nos deliquerunt, nihil ineft difficultatis. — Ultimo denique loco ita precari suos jubet: ναὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, αἴτιον αἰτίαν οὐδεὶς γνώσκει, αἴτιον αἰτίαν οὐδεὶς γνώσκει.



*μὸν \*), ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῆς Πονηρᾶς \*\*), nec sine nos irre-tiri tentatione, sed libera nos a Maligno.* Sensus est: noli permettere, ut illecebris peccatorum nimis succumbamus, cave, ne nimis ad peccandum incitemur. Doxologiam, quae in editionibus vulgaribus legitur: ὅτι σὺ εἶνι η βασι-λεῖα, καὶ η δύναμις, καὶ η δόξα εἰς τὰς αἰώνας ἀμήν., tuum enim est regnum, virtus et gloria in secula, Amen., Griesbachius codicum, versionum et patrum praecepue auctoritatem secu-tus e textu ejecit. Sensus ejus doxologiae, quae certe pro haud genuina habenda ac inde orta est, quod haec verba a publice precantibus addi solebant, per se clarus est.

Multa praeterea *de Christi in hac formula tradenda consilio* disputatione viri docti, quorum sententias dijudi-catas vide apud Noesseltum. Apostolis praecepue hanc pre-candi formulam destinatam fuisse, ex Lucae narratione pa-tet, sed fane a nobis quoque adhiberi potest, modo rite ea utamur. At non fuisse videtur Christi consilium, ut certam precandi normam praescriberet, qua ipsis verbis, quavis conditione et omni tempore uti oporteret homi-nem Christianum; nihil enim de tali consilio addidit, nec apostolos ita adhibuisse hanc formulam legimus, nec deni-

que

\**) Πειραχεύδες* omnia ea significat, quibus homines ad peccandum in-citari solent, illecebrae peccatorum, in quibus calamitates quo-que omnis generis.

\*\*) *Τὴς πονηρᾶς* dupliciter accipi potest, est enim vel genit. mas-*Πονηρὸς*, *Malignus*, *Satanas*, cui Hebrei omnes ad malum in-citationes, tam internas, quam externas, tribuere solebant, vel genit. neut. *τὸ πονηρὸν*, mala cujuscunque generis. Pro utraque interpretatione rationes haud contemnendae afferri possunt; at ob loca paralela, *Luc. XXII, 31. 32. Joh. XVII, 15.* cum Noesselto priorem interpretationem, nec tamen multum obfisto, si quis *τὸ πονηρὸν* de malo, uti dicunt, morali, seu peccato in-telligere velit, quamvis sacri scriptores eo sensu potius vocabu-lum *αδίκων*, quam *τὸ πονηρὸν* adhibere soleant. Sensus for-mulae idem fere semper erit, qualem in textu eum constitui.



que credibile est Lucam praetermissurum fuisse plures sententias, si hoc precum exemplum sanctum et solenne putasset. Exemplo potius Christus discipulos suos docere voluit, quale oporteat esse precum argumentum.

Miremur praeterea Christi sapientiam in hac precum formula conspicuam. Complectitur enim paucis verbis omnia, quae Christianis a Deo sunt expetenda, et quam maxime accommodata est discipulorum captui, quippe quae veteres easque familiares Judaeis sententias continet, uti Schöttgenius aliique viri docti docuerunt.

§. 9. Christi de precum materia, indole et necessitate  
praecepta.

Jam ex his exemplis precum Jesu Christi et formula apostolis data bene colligere possumus, quaenam fuerit ejus de precum modo et indole sententia.

Quod primum ad *argumentum precum* attinet, suo exemplo et oratione imprimis dominica, quid a Deo sit expetendum, ostendit. Dum Deum patrem coelestem appellare jubet, pie liberorum more preces esse facendas docet, neque minus voluntati divinae acquiescendum, patri benignissimo omnia permittenda et bona cuiuscunque generis ab eo exspectanda, qui summo amore nos complectatur idemque potentissimus sit univerbi moderator, ita ut preces nostras exaudire et possit et velit. A tali patre ad Jesu doctrinam quatuor potissimum nobis sunt petenda:

- 1) ut nobilitetur nomen divinum ac regnum coeleste majora capiat incrementa, ut vera Dei cognitio magis magisque semper propagetur, pater sanctissimus ab omnibus suis virtute colatur et cuncta ad ejus voluntatem fiant.
- 2) Non rerum abundantia a Deo petenda est, sed contentum esse oportet hominem precantem paucis, quae ad vitam sustendandam sufficiunt.

G

3) Pro



3) Pro peccatorum quoque remissione Deus est implorandus, quae vero nullo modo exspectari potest, nisi aliis injurias, quibus nos affecerunt, condonare parati simus. Dedeget igitur hominem Christianum Deum precibus ad poenas ab hostibus sumendas excitare; sed animo potius placato patrem benignissimum, a quo peccatorum remissionem exspectamus, imitari debemus, ut laesi vindictam nec voto nec facto expectamus.

4) His denique et illud addendum est votum, ne nimis ad peccandum incitemur et malis succumbamus.

Idem fere fuisse argumentum precum Jesu, quas in evangelii invenimus, ex iis, quae supra diximus, abunde patet. Omnia fere haec a Deo expedit, animo demisso cuncta patri benignissimo permittit simulque gratiarum actiones pro ciborum praecipue munere addit.

At non exemplis solum et precum formulis Christus nos edocuit, quale esse oporteat precum argumentum; sed supersunt etiam pulcherrima ejus *praescripta de materia et indole precum rite faciendarum*.

Omnia, quae de hac re tradidit religionis nostrae auctor, contineri mihi videntur dicto illo notissimo Joh. IV, 24. Sed melius hunc locum interpretabimur, si prius singula inspexerimus.

Ita, ut evangeliorum ordinem secuti ab his initium faciamus, dissertis verbis *pro hostibus esse orandum* docuit, Math. V, 44. Luc. VI, 28. ratione itidem addita, “*ut cognoscamini filii patris coelestis* (i. e. Deo benignissimo similimi sitis), qui *solem piis et impius oriri et pluviam in bonos et malos cadere facit*”. Precum formulam vix datum suis explicaturus, Math. VI, 14. sq. Deum inquit, minime nobis remissurum esse peccata, nisi prius hostibus nostris peccata condonaverimus. “*Quando parati estis ad preces faciendas*, ita suos Marc. XI, 25. admonet, *condonate si irati estis contra quenquam, quo pater coelestis peccata*



*cata vobis remittere possit. Nam nisi vos prius hostibus vestris condonaveritis, pater coelestis peccata vobis remittere nequit.*

Locus vero summi momenti huc pertinens in oratione montana Math. V, 5 - 9. legitur. Jesus hac oratione suam doctrinam perversis Phariseorum sententiis opponit et in antecedentibus simulatam eorum pietatem vituperat. Admonet suos, ne imitentur simulatorum mores, in frequenti hominum coetu, in triviis et quadriviis orantium, quo ab hominibus conspiciantur. Suos e contra, dum precantur, in locum aedium abditiorem et secretiorem (*εἰς τὸ ταύτερον σπέλαιον*) se conferre jubet et ostio obserrato preces facere ad Deum, qui non minus in occulto praefens \*), quae clam faciamus, publice remuneraturus sit. Nec multa, pergit, in precibus facienda esse verba, quod hominum sit, qui verum Deum non agnoscant; non enim, ut illi putant, multis verbis Deum ad exaudiendas preces commoveri, neque opus esse verborum copia, Deum scilicet nihil prorsus latere, omnia potius nobis necessaria eum nosse, priusquam a nobis sint expetita.

His Christi verbis duo de precum modo et indole insunt praecepta:

- 1) *non simulatorum more, in hominum conspectu, per ostentationem, sed in loco solitario ab hominum turba remoto, sincere et sine ulla jactantia precandum esse.*
- 2) *Nec opus esse verbosa et ornata oratione, nec imitandam paganorum superstitionem, qui Deum preces ex prolixitate metiri arbitrentur.*

Minime Jesus his omnes preces publicas improbasse mihi videtur, ipse enim publice precatur; sed eas tantum, quae

\*) Τῷ ἐν τῷ υρυπτῷ sc. ὄντι, si primum illud τῷ genuinum, nec potius ἐν τῷ υρυπτῷ ad hominem preces in occulto procul ab aliorum conspectu facientem, ut v. 4., referendum est.



quae per ostentationem fiunt. Certe silentium et solitudinem quam maxime apta ad preces faciendas arbitratus est, quod jam exempla supra allata nobis probarunt. Preces vero per ostentationem et cum arrogantia quadam factas eum improbase, parabola quoque a Luca XVIII, 9 - 14. memoriae prodita probari potest. "Duo homines", ita Christus narrat, "alter Phariseus, alter portitor simul percandi causa templum adierant. Phariseus seorsim stetit et sic precatus est \*): gratias tibi ago Deus, quod non sim tanquam caeteri homines, latrones, injusti, adulteri, nec tanquam hic portitor. Duobus per singulam hebdomadem diebus jejunium exerceo et omnium, quae possideo, deciman solvo. Portitor vero procul stans, oculis in terram desixis, pectus tundidit his usus verbis: propitius sis Deus mihi peccatori et mecum redeas quaequo in favorem". Quare hunc, non vero illum, absolutum a peccatis domum rediisse ait. Patet igitur, minime damnasse praeceptorem nostrum preces pro remissione peccatorum fusas et vim piaculariam animo potius tristi ac demissa quam verbis ac signis tribuisse, improbase autem Pharisei jactantiam. In parabola nimirum non haerendum est in singulis neque putandum, Christum h. l. externa moestitiae signa magnificisse, sed mentem tantum portitoris laudat Deoque gratam fuisse dicit.

His denique aliud Christi dictum, Math. XXIII, 14. Luc. XX, 45 - 47. Marc. XII, 40. addi debet, quo de fungien-

\*) Ita enim verba, *εαθεὶς πρὸς ἑαυτὸν, ταῦτα προσηγόρευε* interpunktiona et vertenda esse puto, propter illud *μακρόθεν ἐσάς v. 13.*, quae sibi opponi quisque videt. Quam ob causam iis assentiri non possum; qui *εαθεὶς* pro Hebraismo haberi et *πρὸς ἑαυτὸν* ad *προσηγόρευε* referri voluerunt, ut sensus sit: secum ita precatus est. Quanquam enim haec usu loquendi magis forsitan accommodata sit interpretatio, contextus tamen aliam preferendam esse docet.



gienda Phariseorum ostentatione et simulatione suos admonens "vae vobis!" exclamat, *Phariseis et legum interpretibus, qui bona viduarum in usum vestrum convertitis (κατεδίετε τὰς ὀικίας τῶν χηρῶν) sanctitatis specie longis utentes precibus, quare gravior vos manet poena".*

Nil igitur Christus magis suis commendat, quam *figiendam ostentationem*. Iterari praeterea vult *preces* ad fidem parabolae a Luca XVIII, 1 - 7. memoriae proditae, sed sane non eam ob causam, ut eo facilius a Deo impetrerimus, quae petimus, sed ad testandum animum pium, et ad firmandam fiduciam nostram. Quare ipse quoque in villa Gethsemane interato precatus est; talem enim ejus fuisse mentem, et in tradenda illa parabola, (de qua infra plura dicemus) et in his precibus faciendis, loca modo laudata satis probant.

Quod porro ad *externum precantium ritum* attinet; auctor religionis nostrae signa tristitia, animi depresso et humiliis sane non damnat, at nullam tamen iis tribuit auctoritatem et Joh. IV, 21. seq. Deum iis non moveri docet. Hinc illucet, nos false interpretaturos esse parabolas illas laudatas, si, quae de externis precantium signis in iis leguntur, ita intelligeremus, ut putemus, Jesum his signis per se efficaciam et vim tribuisse ad Deum movendum. Ritus externi, seu gestus precantium, secundum Jesu doctrinam non necessarii quidem, sed quam maxime tamen apti sunt ad exprimendum animum humilem et modestum, qui in Deo confidit et omnia a summo numine exspectat. Quam ob causam ipse quoque in faciem procumbere, oculos in coelum tollere et similia solebat.

Eodem modo se habet cum *loco et horis ad preces destinatis*. Quanquam enim vitandae ostentationis causa preces in interiori domus parte fundendas esse eum docuisse supra vidimus, minime tamen loco et horis sanctitatem quandam tribuit. Locum solitarium et silentium noctis quam maxime apta ad precandum putavit; at non ideo ea



ea elegit, quoniam preces sub hac conditione Deo grati-  
res arbitraretur, sed haec sola aderat causa, quod tempo-  
re nocturno et in loco solitario animum facilius a re-  
bus terrestribus remotum in Deum erigere possumus. Ip-  
sum quovis loco et in conspectu quoque hominum pre-  
ces fudisse supra vidimus. Quanquam itaque locus solita-  
rius et silentium maxime apta sint ad precandum, Deus  
tamen, secundum Christi doctrinam, ubicunque a nobis  
adorari potest. Cum uxor quaedam Samarita item Ju-  
daeorum et Samaritarum de loco, quo adorandus sit Deus,  
Christo dirimendam proposuisset, “*instat, ait, tempus, quo  
neque in hoc monte, neque Hierosolymis sacra facietis pa-  
tri; sed tempus erit, et jam adest, quo veri cultores Deum  
animo et integra mente adorabunt, tales enim cultores pa-  
ter amat ac desiderat. Deus est mens, mente igitur et ve-  
ritate a suis vult coli*”. Tali modo Judaeorum et Samari-  
tarum errori, qui preces, seu in templo, seu in monte Ga-  
rizim factas, Deo praeceteris placere externisque rebus  
ac loci sanctitate ad Deum adorandum opus esse arbitra-  
bantur, suam opponit doctrinam. Deum ait esse mentem,  
(πνεῦμα ὁ Θεός) i. e. non hominem, seu regem, qui uno  
tantum loco habitet, sed sumum rerum moderatorem per-  
fectissimum, sanctissimum et nullo corpore praeditum, qua-  
re externis caerimonias moveri non possit et mente tan-  
tum coli velit. Ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν \*)  
i. e. Deum mentem sanctissimum, animo pio, sanctitate  
mentis et vitae colere debemus. Ita, quanquam proxime  
ad preces referendus sit hic locus, latius tamen patet eo-  
que non rectus solum Dei adorandi modus, sed ratio quo-  
que

\*) Ἀληθεία, ut saepius Hebraeorum ΠΝΩΝ, vitam integrum, mores  
bonos, compositos et ab omni simulatione remotos significat.  
Πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ per ἐν διὰ δυοῖν idem est quod ἐν πνεύ-  
ματι ἀληθινῷ, i. e. animo pio, vero et ab omni simulatione in-  
tegro.



que cultus divini describitur, ac tanquam summa omnia Christi praecepta de adoratione ac cultu Dei continet.

Pauca his demum de *precum necessitate* addenda sunt. Preces ad Christi doctrinam non solum utiles, sed necessarias potius esse, ex omnibus hucusque allatis satis patet. Praeterea saepissime suos ad precandum admonet, tam parabolis, quam verbis dissertis. Ita e. g. Luc. XVIII, 1 - 8. parabolam de vidua et judice injusto legimus, quam eo consilio Christum narrasse ait evangelista, ut suos doceret assidue preces esse faciendas. Pari modo suos ad preces ante Hierosolymorum expugnationem faciendas admonet, ne Deus fugam accidere finat hiemis tempore, vel sabbatho, Math. XXIV, 20. Marc. XIII, 18., et simili contextu Marc. XIII, 53. providere, vigilare et orare jubet. Denique cum ipse in villa Gethsemane orasset atque suos dormientes invenisset, Math. XXVI, 41. Marc. XIV, 38. Luc. XXII, 46., *vigilate et orate*, iis ait, *ne succumbatis tentationibus; animus quidem promptus, sed natura (σάρξ) infirma est*, i. e. homo corpore et sensibus praeditus facile pravis affectibus et cupiditatibus ad peccandum protrahi potest, nisi vigilantia et precibus periculum a se averterat. Ad apostolos quidem proxime spectat hic locus et ad periculum, quod aderat deferendi Messiam, dubitandi an is, qui tantis miseriis affligatur et capit is damnetur, divinus fit legatus; sed quod Christus singula hac occasione praecepit, simul omnibus aliis eum praecepisse statuendum est, quia semper adest ratio, ob quam apostolos precari jubet, periculum scilicet, ne affectus ad peccandum nos protrahant.

Tali modo Christus preces rite fusas necessarias esse statuit; sed jam quaeritur, quamnam iis vim tribuerit, et ita ad difficultissimam disquisitionis nostrae partem pervenimus.



## §. 10. Christi de precum vi et auctoritate opiniones.

Multum inter theologos disceptatum est, an Christus omnes, seu nonnullas tantum preces a Deo exaudiri docuerit. Recentiori praesertim aetate, ante quadraginta circiter annos, a celeberrimo Lavatero mota est acerrima hac de re contentio et multa in utramque partem scripta sunt \*). Nos neutri parti addicti videamus, quaenam vera fuerit Christi sententia. Colligenda erunt singula loca ac interpretanda, in qua re tractanda evangeliorum ordinem servare placet, sed ita tamen, ut loca paralela semper conferamus; haec enim materiarum dispositio optima nobis visa est.

Primus locus hoc pertinens Math. VI, 6. legitur: *καὶ πατήρ σας, ὁ βλέπων ἐν τῷ οὐρανῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ οὐρανῷ*. Sed hoc loco nihil plane efficitur, *ἀποδίδονται* enim non significat *preces exaudire*, sed *remunerari*, ita ut sensus loci nostri sit: Deus pro pietate tua occulta publice praemio te ornabit. Nullo modo igitur de precum vi sermo est. Sed mittamus haec et ponamus, *ἀποδίδονται*, cum de precibus utatur, significare *exaudire*, tamen nil hoc nostro loco effici potest; non enim inquit Christus, omnes a Deo impleri preces, nec docet quaenam exaudiantur genera; ad contextum potius, eae tantum preces Deb acceptae sunt, quae rite sine ulla ostentatione fiunt, et eas tantum *ἀποδώσει ὁ πατήρ*.

Alius vero locus majoris momenti VII, 7. 11 legitur, quocum conferenda sunt, quae apud Lucam XI, 5 - 13. occurunt. “*Rogate et dabitur vobis, pulsate et aperietur, quaerite et invenietis*”, i. e. enixissimis precibus a Deo efflagitate et preces vestras ratas esse jubebit, “*quicunque enim rogat, accipiet, quicunque quaerit, inveniet, et qui pulsat, ei aperietur*” Dissertis igitur verbis Christus Deum preces im-

\*) Recensum scriptorum vide in Allgemeine Deutsche Bibliothek Vol. XXX. pag. 511 sq.

implere ait et exemplis etiam rem illustrat ac magis firmat. "Si quis, pergit, inter vos est, quem filius panem, seu piscem, seu ovum rogarit, num lapidem, anguem, seu scorpionem ei dabit? Si quis amicum media nocte adierit eumque rogaverit, ut ipsi commodaret tres panes etc., Jane etiam si non amicitiae causa, tamen propter potentis importunitatem ei dabit", Facta deinde argumentatione a minori ad majus ita fere concludit: si pertinax flagitator tantum obtinet ab homine improbo, si tanta est filii potestis apud patrem auctoritas, quid non precator assiduus a Deo obtinebit.

Negari sane non potest magnam his verbis precibus tribui vim, sed cavendum est primo, ne exempla ultra tertium comporationis extendamus et credamus, Deum importunis hominum precibus vinci posse. Tum videndum est, num ad apostolos tantum, seu ad omnes homines pertineat hoc Christi promissum. Lucas iterum in tradenda hujus orationis occasione acuratio Mathaeo videtur. Christus rogatus a discipulis precandi formulam iis dederat, quo facto hunc nostrum addit locum et Deum suorum preces exaudire ait. Apparet itaque habitam esse hanc orationem ad solos apostolos, et Mathaeum pro materiae similitudine in orationem montanam eam transtulisse. At nihilominus Christi promissum pro universalis, ad omnes homines spectanti, haberi posset; nam saepius ea, quae Christus coram apostolis tradidit, ad omnes pertinent homines. Adebat tamen alia causa, cur hoc Christi dictum ad apostolos restringendum esse videri possit. Apud Matth. v. 11, legitur: δῶσει ἀγαθὰ τοῖς ἀπεστολοῖς, apud Luc. vero v. 13. δῶσει πνεῦμα ἄγιον spiritum sanctum, i. e. adjutorem, qui in munere gerendo vos adjuvabit. Πνεῦμα ἄγιον autem melius forsitan alio modo explicatur, ita ut magis servetur illud ἀγαθὰ Mathaei et per πνεῦμα ἄγιον sancta mens, adjumenta veri rectique intelligentur. Ad omnes ergo homines spectare puto hunc locum, sed nihilominus perperam

H

ad-



adhibetur ad probandum *omnes* preces a Deo exaudiri; dis fertis enim verbis Deum precantibus τὰ ἀγαθὰ daturum esse additur et nullo itaque pacto mala et injustia a Deo precibus impetrari possunt. Dabit nobis πνεῦμα ἀγίου, i. e. aut apostolos in munere fungendo adjuvabit, aut nobis mentem sanctam commodabit, ῥῦσεται ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πονηρῆς, ut in oratione dominica similis fere sententia expressa est. Huc accedit Jesum non solum formula precum vix ac ne vix quidem data, quae a Deo petenda sint docuisse, sed ad contextum Mathaei totum eo intentum esse, ut moneat suos, ne nimiis rerum terrestrium curis se discruciare, sed ad regnum potius coelorum et virtutem Deo gratam adsprire velint. cf. VI, 25-34. Hinc ergo patet quid sint ἀγαθὰ illa, seu πνεῦμα ἀγίου, quod precibus pie et sine ulla ostentatione fuis a Deo impetrari posse edocemur, bona scilicet verā, ad mentem et ad regnum coelorum spectantia. Talia Deus nobis potentibus non denegabit.

Proxime sequitur locus quam maxime difficilis explicatu, Math. XVII, 21. Marc. IX, 29. Narratur in antecedentibus mirifica quaedam sanatio hominis lunatici, quem apostoli sanare non potuerant, quare Christus eorum ἀνιστάν reprehendere coepit \*) et sanato aegroto, privatim ab apostolis de causa, cur ipso hoc miraculum patrare non potuissent rogatus, ἀνιστάν i. e. fidei defectum hanc fuisse ait, fide enim res quam maxime arduas effici posse. Modo certo vobis persuasum habetis me semper vobis praestō esse et vos in munere fungendo et in miraculis patrandis adjuvare, (ita haec verba intelligenda mihi videntur) nihil non poteritis eorum, quae ad conciliandam muneri vestro

aucto-

\*) In apostolos siue ullo dubio dicta sunt verba illa Ω γενεὰ ἀπιστοῖς ναὶ διερραμμένη Matth. XVII, 17. Marc. IX, 19., de quorum interpretatione tantum differunt viri docti, nec in Phariseos, quorum nullos presentes fuisse legimus, nec in patrem aegroti et amicos ejus presentes. Patet hoc ex toto contexta, praeci pue ex v. 20. Math.



auctoritatem pertinent, sanabis omnes aegrotos, etiam quam maxime inveteratis morbis laborantes. "Hoc vero *daemonum genus*, pergit, non nisi precibus et jejuniis expelli potest." Precibus et jejunio ergo opus est ad mirifico modo sanandos morbos inveteratos; sed cujusnam precibus hoc effici potest, num apostolorum, an aegroti? Dicto illo Sirachi XXXVII, 9-15 supra laudato et iis, quae apud Tobiam de daemonе Asmodi precibus victo legimus, collatis, non novum et inauditum prorsus Judaeis fuisse videmus, quod Christus precibus et jejunio vim quandam ad recuperandam sanitatem tribuit. Conferri etiam debent, quae infra Jacobum apostolum V, 13. de hac re tradidisse videbimus.

Jam vero quod ad loci nostri interpretationem attinet, multum differunt inter se viri docti. Fuerunt enim, ut e. g. Paulus, qui προσευχὴν ναι ὑπείχει illud *de aegrotis* intelligere vellent et putarent Christum nil aliud docere nisi hoc, mala ejusmodi precibus tantum aegrotorum et frugalitate et abstinentia a vino, carnibus etc. sanari posse. Sed nullo pacto a me impetrare potui, ut huic interpretationi assentirer; tunc enim doceret Christus, non potuisse aegrotum illum sanari ab apostolis, neque causa adfuisset, cur illorum οἰνίσταν reprehenderet, si ne maxima quidem eorum fiducia, sed aegroti tantummodo jejunio, seu frugalitate daemon, ut ita dicam, expelli potuisset. Quare alii interpretes *apostolorum preces* intelligere voluerunt. Supra dixerat Christus fiducia opus esse ad haec praesertim majoris notae miracula, nunc quomodo ea fiducia parari possit ostendit, precibus nimirum fervidis. Jejunium adjungit, quia eo animus ad preces faciendas magis idoneus redditur. Non igitur simpliciter precibus et jejunio vim illam tribuit, sed fiducia iis parata. Haec est interpretatio vulgaris, quae tamen non prorsus mihi arredit, nimis longe enim petita videtur. Magis credo Christum precibus ac jejunio apostolorum per se vim quandam



ad expellendos daemones tribuisse, sed quonam modo, an naturali quodam, fidem e. g. augendo, an miraculo id efficiatur, ex evangelistarum verbis cognosci non potest. Facillimus et caeteris Christi promissis maxime conveniens locus noster mihi videtur, si arbitramur, promisso eum suis, se, seu Deum potius iis in fungendo munere et in miraculis ad auctoritatem divinam probandam patrandis adfuturum, si precibus auxilium divinum expeterent; alias enim nullo modo daemones ab iis expelli posse. Sed cur hoc loco *vñseicay* cum precibus conjunxerit non video, nisi forte preces enixas his significare voluerit. Obscurum semper erit hoc Christi dictum ob nimiam loci brevitatem, sed magnam eo *apostolorum precibus* tribui vim negari non potest, quoque modo intelligamus singula verba.

Supereft alius apud Math. XVIII, 19. 20. locus, quem ad apostolos tantum, quibuscum Christus de muneri apostolici auctoritate ac potestate colloquitur, et ad munus iis demandatum spectare, bene tenendum est. „*Praeterea, ita Christus pergit, vobis dico, quodsi duo vestrum unanimi consensu aliquid petent, quidquid illud erit (περὶ παντὸς πράγματος) dabitur illis a patre meo coelesti.*” Promittit ergo apostolis ratas fore apud Deum omnes preces, quas unanimi consensu tanquam legati divini facturi sint. Ad contextum vero intelligendae sunt preces a legatis divinis in fungendo munere precatae, quibus a Deo aliquid pertinet, quo opus est ad instituendum et propagandum regnum coeleste, praesertim quod ad animorum spectat salutem, cf v. 18., preces, quibus a Deo expetunt, ut aut peccatori, qui admonitus ab apostolo, seu solo, seu testibus adhibitis, seu in concione publica, (v. 16.) non obedit, peccata retineat, (*ἐὰν δίσητε κ. τ. λ. v. 18.*) aut ei, qui talibus admonitionibus motus ad meliorem frugem redit, culpam condonet. Tali modo illud *περὶ παντὸς πράγματος* restrin- gendum esse omnis contextus et praesertim v. 20. docet. Rationem addit Christus, cur sperare possint apostoli exau- ditum



ditum iri ejusmodi preces: “*si enim duo vel tres meo nomine concorditer aliquid petent, illis adero*” \*). Caeterum quod duobus vel tribus se adfuturum esse dixerit, nihil in ea re quaerendum est; collato enim v. 16, facile cur ita locutus sit apparet, ubi, si quidam admonitus ab uno non paine-rit, alterum, vel tertium testem adhiberi juss erat, quare v. 19. 20 δύο ἢ τρεῖς illud retinuisse videtur. Postremo si nullum est hoc Christi dictum tritae inter Hebraeos sententiae: “*Ubi duo confident sermonem habentes de lege, Schechinah* (de qua vide Exod. XIII, 21-22. Num. XIV. 14. Ps. LXXVIII, 14. 1 Cor. X, 1.) *est inter ipsos*”, ad quam Chri- stum respexisse verisimile est.

*Apud Lucam XVIII, 1 - 14.* Christus duabus parabolis, quarum jam supra mentionem fecimus, magnam esse docet precum efficaciam. Prima parabola est notissima illa de ju- dice, neque Deum timente, neque hominem curante, qui viduam quandam initio audire noluit, at denique iteratis et enixis precibus motus eam defendere constituit, ne saepius veniendo eumque interpellando perget ei esse mo- lesta. “*Nonne ergo potius Deus, ita Christus ratiocinatur, injuriam arcebit ab iis, quos diligit, qui die noctuque pre- cibus eum implorant, quamvis aliquamdiu auxilium diffe- rat? Dico vobis vindicatum eos esse cito*”. Si judex in- justus enixis precibus ad audiendam viduam illam, quam non curabat, permotus est, quanto magis a Deo sanctis- simo aequae ac benignissimo sperari potest, fore, ut opem ferat hominibus, quos diligit, quando precibus eum ado- rant

\* ) Συνάγεσθαι proprie est convenire, sed, uti haec latina, graeca illa vox a scriptoribus sacris ad animum transfertur, ita ut syno- nymum sit τῇ ὁμογενῆ (Act. IV, 27.), consentire. — Εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, mei causa, propter religionem meam. Vide, quae de hac voce infra ad loca Johannea dixi. — Mox, εἴπει ἐμι ἐν μέσῳ ἀντῶν, rursus est translatio, qualem supra in voce συνάγεσθαι habuimus, — auxilium iis praebeo.



rant. Ita sine dubio haec parabola est interpretanda, nec credendum saepius repetitis tantum precibus Deum moveri. In parabolis scilicet non in singulis quibuscumque haerendum, sed generalior doctrina caeteris Christi praceptis accommodata evolvenda est. Praeterea auxilium, quod Christus precibus enixis a Deo impetrari posse ait, ad pericula, apostolis caeterisque Christi discipulis in excidio vicino Hierosolymorum exspectanda, proxime spectare, ex capite antecedente et h. c. v. 8. πλὴν οὐδὲ τοῖς αὐτῷ περὶ ἀλθῶν καὶ τοις λαγῳ facile cognoscitur. Enixis ergo precibus, quibus a Deo dilecti \*) patris auxilium in vicinis turbis sint imploraturi, magnam vim et efficaciam tribuit Dominus noster Deumque eas audire ac cito opem laturum esse docet, quantumvis aliquamdiu morari videatur. Non itaque efficitur hoc Christi dicto, omnes a Deo exaudiri preces enixas; sed ἐκλεκτῶν tantummodo intelliguntur petita, et proxime ne eorum quidem omnia, sed singula tantum certo quodam casu facta. At non dubitari potest, ea quae Christus his precibus proborum hominum promittit, eadem etiam ad ejus mentem de caeteris similibus praedicari posse, modo rectae sint et praescriptis, quae alias dederat, accommodatae.

Pari modo ea, quae sequitur apud Lucam, parabola de precibus superbis et simulatis Pharisei et dimissis portitoris, sive eadem, sive alia occasione a Christo narrata fit, interpretanda est. Magnam sane Christus tribuit vim precibus pro remissione peccatorum factis, sed dimissis tantum, ab omni simulatione remotis, nec verbis et signis externis ineft ea vis, sed acceptae sunt Deo eiusmodi preces ob animum pium et odium peccati, quod iis confitemur.

In

\*) Ἐκλεκτοί i. q. בְּחֹרִים, qui praestant caeteris, qui veri sunt Dei cultores atque ab eo diliguntur.

In evangelio *Johannis* quatuor legimus loca, quae omnia ad apostolos pertinent, XIV, 13. 14. XV, 7. 16. XVI, 23 - 26. \*). Promisit Christus discipulis suis spiritum sanctum, (*παράκλητον*) qui eos in fungendo munere adjuvaret, dum ipse ad patrem abiret, suis solis relictis. Docuit eos, Deum omnia ipsis daturum, quae *Christi nomine* expeterent. Quaeritur jam, quod sit petere aliquid nomine *Christi*? Varias significaciones formulae *ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ* enumerare et explicare opus superfluum foret. nostris locis in *alicujus nomine* est i. q. *eius auctoritate*. Precantur apostoli in nomine Christi, dum precibus flagitant, quae opus sunt ad commendandam et tuendam evangelii causam. Substituti erant in locum Christi, datum iis erat negotium Christi nomine regnum coelorum insituendi et veram religionem propagandi et tanquam Christus legatus erat divinus, ita apostoli ipsis erant legati. Quicquid ergo legati divini in Christi locum substituti peterent, id se facturum ait et omnia suo nomine flagitata a Deo eos accepturos esse. Haec si tenemus facile intelligemus illa loca, nec opus est singula explicari; omnia enim docent, Deum *apostolorum preces Christi nomine factas* audire easque ratas esse jubere.

Videmus praeterea ex iisdem locis, magnam putasse Christum suam apud Deum auctoritatem, modo enim se, quaecunque suo nomine petissent, modo Deum patrem ipsis daturum esse ait, cf. XIV, 14 et XV, 7.; sed addit quoque XVI, 26. 27. non opus esse, ut interveniat pro iis, Deum eum ipsos amare.

Persuasum denique Christus sibi habebat, *preces suas* a patre coelesti exaudiiri, ut ex verbis, quae antequam Lazarum e mortuis resuscitaret precatus est, Joh. XI, 41. 42. et precibus quoque in villa Gethsemane fusis ac narratione de angelo e coelo dimisso probari potest. Sane Chri-

\*) Vide: Noeffelt opuscula ad interpretationem sacr. script. Ha.  
lae 1785 - 1787 Fasciculus II. pag. 392 sq.



Christus suis precibus talem vim et auctoritatem tribuere poterat; omnia enim, quae a Deo petebat, ut supra vidi-mus, ita comparata erant, ut ad δόξαν Θεοῦ spectarent, et nullum poterat esse legato divino dubium, quin is, qui eum in mundum miserat, ei afforet.

Jam si omnia, quae disquisitione nostra de precum vi et efficacia invenimus, paucis quibusdam complectimur, factendum est, magnam Christum praecibus tribuisse vim et suas praeципue apostolorumque preces ad munus ipsis demandatum spectantes, minime vero omnia hominum petitia a Deo exaudiri docuisse.

Haec fere sunt, quae Christus de precibus tradidit, quae, si ea comparamus cum iis, quae antea tradita erant, praestantissima sane videntur. Sed antequam comparatio ipsa institui potest, *apostolorum quoque de precibus sententiae paulo acutius inspicienda sunt.*

CAPUT II.  
APOSTOLI ET PRIMI CHRISTIANI.

---

§. 11. Exempla precum ab apostolis et primis Christianis fusarum, una cum formulis precandi in genuinis apostolorum scriptis obviis.

Apostoli primique Christiani p̄ecandi consuetudinem a Domino ac praceptorē acceptam retinebant, semper quavis vitae conditione Dei auxilium implorantes et gratias supplices pro cuiuscunq̄ generis beneficiis ei agentes. Multa in apostolorum actis et epistolis occurunt precum exempla, quae legere jam nostrum est, quamquam non opus erit diu in iis explicandis commorari. Plura eorum sunt genera, quae bene distinguere nos oportet.

Primo



Primo loco sint *preces publicae seu communes*, quas ab apostolis caeterisque Christi discipulis post praceptoris dilectissimi mortem factas esse, *Lucas memoriae* prodidit. Ita statim in initio *Actorum I*, 13. 14., ubi Christi in coelum ascensum narraverat, undecim apostolus, post Iudee Ischariotae mortem reliquos, domum reversos, cum Maria, Christi matre, mulieribus et cognatis preces assiduas fecisse ait. Domum ingressi, in superiorem aedium partem (*εἰς τὸ ὑπερῷον*) \*) ascenderunt et assidue in precibus publicis faciendis versati sunt, (*προσκυρτεράντες ὅμοδυμαδὸν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει*). Fuit mos apud Judaeos, ut, si vacare vellent religioni, precari, de rebus divinis meditari, de lege colloqui, in superius conclave se conferrent \*\*), quem morem imitati, apostoli in summo illo conclavi precandi et pietatis exercendae causa convenire soliti sunt, quod praeter nostrum locum aliis quoque, ut Act. II, 1. 42. 46. 47. etc. probari potest.

Huc pertinet quoque publicarum precum aliud exemplum, cuius XXII, 1 - 13. fit mentio. Narratur ibi, Antiochae convenisse quosdam prophetas et doctores, quibus sacra facientibus, precantibus et jejunium exercentibus Spiritus sanctus, Barnabam et Saulum ad obeunda negotia, a Deo ipsis data, eligendos esse dixisset. De voce λειτεργεῖν, quam hoc loco de precibus legimus, vide quae in prooemio monuimus. Sed praeterea jejunium exercuisse dicuntur doctores et prophetae. Videmus igitur preces publi-

\*) Sunt quidam, qui ὑπερῷον de cella superiori in templo Hierosolymitanō intelligendum esse putant et argumentis acutissimis hanc opinionem firmare student. Sed alii jam eos refutarunt, quare res satis explosas recoquere noluimus. Ludovicus de Dieu et Kreblius praecipue ita locum interpretari conati sunt.

\*\*) Vide Campeg. Vitringa de synagoga vetere pag. 145 seq., qui bene de hac Judaeorum consuetudine differuit.



publicas non minus Antiochae, quam Hierosolymis fuetas et preces cum jejunio conjungere apud primos quoque Christianos moris fuisse, id quod aliis etiam locis, ut XIV. 23. firmatur. Denique hoc loco de manuum impositione *agitur*. Manus imponebant Barnabae et Saulo, ut eos ad negotium subeundum quasi inaugurent. Sed pari modo caeteris etiam Christianis manus ab apostolis esse impositas legimus, eo consilio, ut Spiritu Sancto implerentur \*). Quam manuum impositionem interdum precibus fuisse conjunctam ex locis Act. VI, 6. et XIV, 23. patet. Nihil praeterea miraculosi in hac manuum impositione, cum invocatione Dei interdum conjuncta, quaeri neque aliud quidquam intelligi debere, quam effectam his omnibus singularem animorum concitationem, qua tanquam divini numinis afflato se senserint impulsi, ut illam doctrinam laeti ac imperterriti profiterentur, praesclare, uti solet, Noeffeltus probavit.

Aliud porro publicarum precum exemplum Act. I, 24. 25. invenimus. Aliquando Petrus in medio discipulorum Christi, ( $\tauῶν μαθητῶν$  v. 16, non apostolorum et comitatorum Christi solum; sed omnium Jesu cultorum), quorum numerus CXX circiter fuisse dicitur, surrexit ac praefatus de proditore Juda ejusque morte ignominioso, apostolorum numerum explendum esse docet. Duos eligendos proponunt, de quibus sortes conjicere visum est, Matthiam et Josephum. Sed antequam sortes ducunt, ad Deum precantur, et ab eo, cui hominum animus sit notus, qui omnium indolem sentiendi cogitandique rationem habeat perspectam, ( $Κύριε παρδογνώσα πάντων$ ) petunt, ut ipsis ostendat, quinam ex his duobus dignus sit, qui coepetur in numerum apostolorum et fuscipiat munus, unde de-

\*) De qua re vide Noeffelti disputationem de Spiritu Sancto ab apostolis per impositionem manuum tradito, in Ej. exercitationibus pag. 47 seq.



decesserit Judas, πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἰδίον. Ultima haec verba vario modo interpretantur; modo enim interpres ad Judam, modo ad eum, qui ejus successor fit eligendus, referunt et hi infinitivum πορευθῆναι pendere dicunt a λαβεῖν ac sensum ita constituant: *ut locum Judae occupet*. Alio modo Heinrichs accepit, cuius commentarium in hunc locum vide. Optima mihi videtur interpretatio vulgaris, Judam ad inferos abiisse, in statum et conditionem, qui magis ei conveniret, redactum esse; non enim usū loquendi patrum solum, Ignatii nominatim *ad Magnes. 5.* et *Thalmudistarum*, sed etiam Alex. Eccles. III, 20. VI, 6. firmari potest et a multis jam firmata est. Caetera omnia sunt expedita.

Ultimo loco in hoc genere sit precum formula, quam Act. IV, 24 - 30. legimus. Petrus et Johannes ad sacerdotes et magistratus Judaeorum adducti, religionem christianam professi, propter metum, quem incutiebat magna hominum turba, Deum celebrans ob miraculum in homine quodam clando patratum, de quo mox videbimus, dimittuntur, jussi ne doctrinam suam latius divulgent. Quo facto Petrus et Johannes ad suos reversi rem iis narrant, et hi unanime Deo gratias agunt ejusque auxilium implorant. Initio facto a doxologia, qua Deum Dominum omnis universi appellant, verbis Pf. II, 1. 2. Dei magnitudinem celebrant, qui irrita reddat hominum studia, idque in consiliis, ab Herode, Pontio Pilato et paganis hominibus in Deum ejusque unctum captis, probaverit. “*At jam, ita precari pergunt, respice eorum minas et concede servis tuis, ut liberrime tradant doctrinam tuam, eo ut propitius illis adfis ad sanandos aegrotos, quo signa et miracula parentur nomine filii tui Jesu*”.

His demum addi potest, sacrae coenae usum conjunctum fuisse precibus eucharisticis, quod ex 1 Cor. X, 16. patet, ubi calix τὸ ποτήριον τῆς ἐυλογίας, ἡ ἐυλογεῖμεν audit,

i. e. calix facer a nobis consecratus, seu poculum, pro quo

I 2 gra-



gratias agimus Deo, quod gratiarum actione consecratur usui sacro. Hinc totū sacramento εὐλογίας nomen inditum est.

Proxime his accedunt *preces in templo factae*, quarum quaedam in Actis exempla legimus. Ita v. c. III, 1. seq. Petrum et Johannem hora nona, quae erat precationis hora, in templum venisse narratur. At forsan apostoli non precandi, sed docendi causa templum adierunt, saltem ex nostro loco probari non potest, precari eos constituisse. Petrus et Johannes ergo precum hora templum adeunt et hominem claudum, ad templi portam mendicantem, sanant; quo facto hic cum Petro et Johanne templum intrat, ambulans et Deum laudans, v. 8. 9. Quod cum multi videarent mirati accurrunt et Petrus occasione sibi oblata de Christo, hujus miraculi patratore, eos edocet.

Aliud exemplum plus probat. Paulus Hierosolymas reversus, cum septem aliis, qui Nasireatus \*) votum suscepserant, se purificat et, dum sacrificia, quae offerri necesse erat, administranda curaret, a Judaeis Asiaticis recognitus et interventu chiliarchi aegre servatus, apologiam ingressus, vitae suae historiam breviter narrat. Inter alia XXII, 17. se aliquando in *templo precantem* in ecstasi incidisse ait, i. e. mersum divinarum rerum profunda cogitatione ita in se descendisse, ut Deum quasi loquentem audire putarit. Nullum ergo dubium esse potest, quin apostoli templum precandi quoque causa adierint.

At idem Paulus cum sociis itineris alio loco act. XVI, 13 - 16. *Proseucham* intrasse dicitur; sed quod minime omitti debet, magis docendi quam precandi causa eo se contulisse videtur. Addit nimirum Lucas, Paulum sociosque cum censedissent colloqui coepisse cum mulieribus, quae convenerant, et Lydiam quandam baptizatam esse.

Pro-

\*) De hoc voto Nasireatus vide Num. VI, et Philo de animalibus sacrificio idoneis. Editio Mangey Londini 1742. Vol. II. pag. 249 sq.

Proseuchae non semper aedificia sed interdum loci subdionales, ubi precandi causa convenirent, fuisse videntur. Saepissime proxime ad fluvios, seu ad mare exstructae erant, ut Philippica illa, de qua hic agitur, puto eam ob causam, ut eo commodius aqua suppeteret ad manus, uti Judaei solebant, lavandas antequam preces ficerent. Ad hanc proseucham uxores praecipue convenisse videntur, saltem illud ex v. 13. colligere licet. At non semper extra urbem sitas, sed magnum earum numerum in urbibus exstructam fuisse, ex multis Philonis locis cognoscitur, quo auctore etiam scimus, Judaeos non precandi solum, sed promovendae quoque pietatis causa Proseuchas adiisse. Proseuchae et Synagogae idem ergo Philoni saltem fuisse videntur \*).

Jam

\* Dabo hic loca quaedam veterum de Proseuchis.

Philo de Mose lib. III. ed. Mangey Londini 1742. Vol. II.  
pag. 168. Τὰ γὰρ πατὰ πόλεις προσευντήρια, τί ἔτερον  
ἐσιν, ἢ διδασκαλεῖα Φρονήσεως παὶ ἀνδρίας παὶ σωφροσύνης παὶ  
διπαιοσύνης, ἐυσεβείας τε παὶ ὀσιότητος, παὶ συμπάσης ἀρετῆς, ἢ  
πατανοεῖται παὶ πατορθέται τὰ ἀνθρώπεια παὶ θεῖα;

Adversus Flaccum Vol. II. pag. 522 - 524, ubi de Proseuchis Alexandrinis, a Flacco statuas in iis ponendo violatis, con queritur, quanti sit res momenti ostendit et sub finem addit:  
τοῖς πανταχόθεν τῆς ὀικουμένης ἱσθαίσις ὁρμητήρια τῆς εἰς τὸν Σε βασὸν δικον ὄσιότητός εἰσιν αἱ Προσευχαὶ ἐπιδήλωσ, π. τ. λ.

De virtutibus et legatione ad Cajum Vol. II. p. 565:  
τῶν Προσευχῶν (πολλαὶ δὲ εἰσιν πατὴ ἐκαστον τμῆμα τῆς  
πόλεως) τὰς μὲν ἐδενδροτέμησαν, π. τ. λ.

Ibid. pag. 568. Ἡπίσατο ἐν (Augustum intellige, cuius laudes Philo celebrat,) παὶ Προσευχὰς ἔχοντας παὶ συνιόντας (Judaeos scilicet Romae habitantes) ἀις ἀντὰς, παὶ μάλισα ταῖς ἵραις Θεοδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύονται Φιλοσοφιαν.

Apparet



Jam ad *privatas* apostolorum accedimus preces, in quibus primo statim loco *preces in initio epistolarum pro salute ecclesiae Christianae* memorandae sunt. Fines sane hujus disquisitionis excederem et opus minime necessarium susciperem, si singula illa loca interpretari vellem. Sufficit

Apparet igitur ex his Philonis locis, iquibus multa alia minus insignia addi possunt, Proseuchas in urbibus extructas alio nomine Synagogas fuisse. Vide quae Mangey ad pag. 168 et pag. 565. annotavit.

Ex aliis vero, Josephi praecipue locis, Proseuchas extra urbem ad ripam maris fuisse apparet, e. g. Antiquitatum Iudaicarum XIV. c. io. §. 23. in decreto. Halicarnassenum: δέδονται ἡμῖν ἱεράτων τὰς βελομένες, ἀνδρες ταναγρίας — τὰς Προσευχὰς ποιεῖθαι πρὸς τὴν Θαλάσσην πατὰ τὸ πάτριον ὄντος, n. τ. λ.

Sed de vita sua pag. 931. de Proseucha intra Tarichaeam condita ait: συνάγονται πάντες ἐις Προσευχὴν, μέγιστον οἰκημα πολὺν ὄχλον ἐπιδειξαθαι δυνάμενον. Vide quoque Ibid. pag. 930 et 933 et contra Apionem lib. II. pag. 1062.

Epiphanius haeresis LXXX. τινὰς τα δίκους ἔκυτοῖς κατασυνάστατες. — Προσευχὰς ταύτας ἐνάλεν παὶ ἥσαν μὲν τὸ παλειον Προσευχῶν τόποι ἐν ταῖς τοῖς ἱεράσιοις ἔξω πόλεως, παὶ εὐ τοῖς Σαμαρείταις.

Tertullianus denique adversus Nationes lib. I. c. 13. ed. Rigalti Lutetiae 1641. pag. 59. Orationes littorales nominat.

Juvenalis Satyra III, v. 296. "Ede, ubi confistas, in qua te quaeram Proseucha".

Qui plura de Proseucha legere cupit, evolvat:

1. Lyseri van Mullen Dani dissertatio critico-philologica de gemina vocis προσευχῆς significatione Act. XVI, 13. Hafniae 1707. in 4to.
2. Vitrunga de Synagoga vetere pag. 119. 217. 1022 sq.
3. Isaac Vossi observationes in Catulli opera. Editio secunda, Ultrajecti 1691 in 4to pag. 313. 314.



loca insignia laudasse, et generale harum precum argumentum expofuille.

In omnibus fere apostolorum Pauli praesertim epistolis, quae ad nos pervenerunt, hujusmodi preces leguntur, v. c. Röm. I, 8-10. 1 Cor. I, 4 sq. 2 Cor. XIII, 7. Eph. I, 16. sq. III, 13. sq. Coloss. I, 3. 9. Philipp. I, 3. sq. 1 Thess. I, 2-5. II, 13. III, 9-13. 2 Thess. I, 3. sq. II, 13. 2 Thim. I, 3. sq. Philemon 5. Hebr. XIII, 20 etc. Omnibus his locis apostolus, aut Deo gratias agit de fide eorum, ad quos scripta est epistola, Röm. I, 8. 1 Cor. I, 4 sq. Coloss. I, 3. 2 Thess. II, 13., aut a Deo petit, ut det ipsis augmentum in cognitione verae religionis et omnium virtutum studio ac peccatorum odio, ut doctrinae Christianae cognitio uberior iis contingat, ut spiritus divini auxilio insigniter firmentur animo etc. Eph. I, 16-17. III, 13 sq. 2 Cor. XIII, 7. Coloss. I, 9. 2 Thess. I, 3., aut denique desiderium ecclesiam seu hominem quendam videndi exprimit, Röm. I, 10, 1 Thess. III, 9-13. 2 Thim. I, 3.

Sine ulla intermissione (*διαλειπτως, πάντοτε*) Paulus se in precibus suis Christianorum mentionem facere ait, tantopere eos amabat et tantam eorum curam habebat. Saepius his precibus doxologia aliqua additur. Eph. III, 14. sq. e. g. Paulus his fere verbis precatur: “*quapropter genua mea flecto ac supplex peto a Deo, patre Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis familia* \*), *quae in coelis est et in terris, originem habet, (συμβάζεται ex Hebraismo) qui velit efficere pro summa sua maiestate, ut internus vester homo corroboretur auxilio spiritus sui*” etc. Doxologia iterum finiuntur hae preces v. 20. 21. Interdum etiam his precibus transitus ad summum epistolae argumentum patratur, e. g. Eph. I, 17 sq.

Prae-

\* ) Vide Noeffelt prolusio de una Dei in coelis terrisque familia ad illustrandum locum Eph. III, 15 et alios epistolarum Paulinarum, in ejus exercitationibus pag. 186. seq.



Praeclaras Stephani preces Act. VII, 53 - 59. legimus. Primus hic martyr, cum ab adversariis ad mortem traheretur et lapidibus peteretur, Dominum invocat, ut animum suum fuscipiat. Flexis genibus magna voce exclamat: „*Domine ne imputes illis hoc peccatum!*”

De Petro act. X, 9. coll. XI, 5. narratur, eum ascendiisse in tectum, seu in superiorem domus partem, (*εἰς τὸ δωματίον*) ad preces faciendas, et *hora* quidem *sexta*. Iterum ergo videmus, non prorsus neglexisse apostolos patrum consuetudines.

Pari modo Paulum saepius ad Deum orasse legimus. Ita v. c. act. XVI, 25. cum Sila in vincula conjectus orat et Deum laudat. *Laudes* Deo cecinisse videntur pro honore sibi habito, in eo quod pro Christo pati possent. Quas preces Deus benigne accepit et, uti Lucas statim addit, libertatem captis restituit.

Nec sui indignum putavit idem apostolus, malorum liberationem sibi expetere, quod ipso teste 2 Cor. XII, 8. scimus. Est is locus notissimus de stimulo carni infixo. Quicquid demum sit ille *σκόλοψ τῆς σαρκὸς*, quem a Satana sibi immissum ait, ne se efferret, malum quoddam sub tali imagine representatur. Ter i. e. saepius Dominum invocavi, ait, ut me ab hoc malo liberet, sed responsum accipi: „*gratia mea tibi sufficere debet*”. Memorabile hoc est exemplum, ex quo patet, pias etiam easque apostolorum preces interdum a Deo non esse exauditas, minime igitur ad doctrinam Novi Testamenti sperari posse, omnes ratas fore preces. Quae nempe Paulus ut Dei responsum addit, sensus animi sui sunt et solatium in his afflictionibus ex Christi doctrina perceptum.

Aliud precum Pauli exemplum Act. XX, 36. legimus. Paulus Miletum convocatis presbyteris ecclesiae Ephesinae orationem ad eos habet, qua finita genu flectit et cum omnibus illis precatur. Neque minus ad fidem loci Act. XXI,



5. Mileto Hierosolymam profecturus, antequam navem  
conscenderet cum sociis itineris ad ripam procumbit et  
preces fundit.

Porro Paulum Christi consuetudinem *precandi ante coenam* servasse et calamitatibus quoque oppressum ac de vita periclitantem, cum ipse et socii in nave fragili ultimum sumerent victum, eam non neglexisse, ex loco Act. XXVII,  
55. patet et denique, tam Petrus, quam Paulus, antequam miraculum patrarent, preces fudisse leguntur, ut Petrus v.  
c. antequam Tabitham foeminam Joppensem resuscitaret,  
Act. IX, 40. et Paulus, cum in insula Melite ad Publpii pa-  
trem febribus et dysenteria laborantem accessisset, Act.  
XXVIII, 3.

Postremo idem Paulus Act. XXVI, 28. ad Agrippam adductus, cum ille audita oratione ab apostolo ad defensio-  
nem suam habita propemodum, dixisset, mihi persuade-  
bis, ut siam Christianus "*Deum precor, ait, non te solum,*  
*sed omnes, qui hodie me audiunt, et propemodum et plane,*  
*tales evadere, qualis ego sum, exceptis his vinculis*".

Caeterum *Cornelium* centurionem, nondum ad religio-  
nem christianam perductum, preces fecisse easque pariter  
a Deo exauditas esse traditur Act. X, 2 - 4.

Sed jam his finem imponamus, sufficit enim precum exempla, quae maxime notatu digna visa sunt, ex aposto-  
lorum scriptis collegisse, e quibus facile perspicitur, om-  
nes precum species, et publicas, et privatas, et  
gratiarum actiones, et deprecationes cujuscunque fere ge-  
neris, tam pro propria, quam pro aliena, cum privata  
amicorum, tum communi Christianorum, quin imo adver-  
sariorum salute, seu terrestri, seu coelesti, in usu fuisse  
et modo in templo, modo aliis locis, modo presentibus,  
modo remotis testibus precatas esse. Quare nullo pacto  
dubitari potest, magnam tum temporis putatam esse pre-  
cum auctoritatem, et jam ex his, quae modo attulimus,

K                   exem-

exemplis apostolorum de precibus opinio cognosci posset, nisi supereffent quoque multa eaque praeclara dicta, quae nunc a nobis inspici necesse est.

§. 12. Pauli de precibus, earum vi, modo et variis generibus dicta.

Magna est locorum copia, in quibus de precibus agitur; saepissime enim apostoli ad hanc praceptorum partem revertuntur. Difficillimum sane videtur ordinem quandam justum in iis colligendis servare; minime enim licet eum instituere ordinem, quem nostri doctrinae moralis praceptores in tradendis suis de precibus sententiis fecerint, ita ut omnem de precibus disquisitionem ad logices pracepta in quasdam partes dividamus, et quae apostoli de singulis docuerint, recenseamus. Nam, ut de eo taceam pericnlo, quod inde oriturum esse non sine causa timetur, ne nimirum recentiorum dogmata nimis sectemur eaque in apostolorum scriptis invenire studeamus, alia quaedam maxima sane inde oritur difficultas, quod apostoli, qui philosophiae et logices nullam habebant curam, varia pracepta non stricte distinxerint et saepissime res alieni prorsus argumenti inter se conjunixerint. Quare si philosophicum servare vellemus ordinem, non solum opus spinosum aggredieremur, sed periculum foret, ne primum historiarum scriptoris officium, quod in veritate sine ullo partium studio indaganda conspicitur, negligeremus. Pari modo non licet omnium apostolorum doctrinam in unum complecti, sed videndum est potius, quamnam singulus quisque de precibus foverit opinionem. Quae cum ita sint, re diligentius perpensa, optimum factu mihi videtur, opus ita aggredi, ut loca praecipua colligam et obscura interpreter, ordinem canonicum epistolarum secutus, quem quidem ad chronologiae leges non esse compositum bene scio. Cum vero omnes epistolae apostolicae in parvo quodam temporis



ris intervallo scriptae sint, ad nostrum finem non multum fane refert acuratum instituere ordinem chronologicum, qui semper tamen conjecturis maxime nititur. Quibus praemissis ad rem ipsam festino.

A) *Paulus.*

In *Pauli*, omnium sane apostolorum, et ob eruditio-  
nem, et ob ingenii dotes praestantissimi, scriptis multa de  
precibus occurrunt.

In *epistola ad Romanos* insignis quidam legitur locus VIII, 15. Opponuntur sibi in antecedentibus, ut saepius apud Paulum, σάρξ et πνεῦμα eo sensu, ut σάρξ eam homini-  
nis indolem significet, secundum quam sensibus ac cupiditatibus indulget, πνεῦμα vero meliorem illam hominis Chri-  
stiani mentem, quae spiritualibus, i. e. animo sensuque vere christiano, ad novae religionis praecepta conformato, studet. Σάρξ homines infelices, πνεῦμα vero felices reddit, et quod lege mosaica effici non potuerat, homines nimis tranquilliores reddi de peccatis commissis et ad meliorem tru-  
gem reduci, id nova fit religione, quae morte Christi om-  
nibus illis, qui peccatis renuntiant et meliorem ineunt vitam, favorem Dei (δικαιοσύνην) affirmat. Quare obsequium debemus, non vitiosae naturae, ut pravis cupiditatibus indulgeamus, sed potius meliori vere christiana mente pravi affectus et cupiditates reprimendae sunt. Tunc felices erimus, qui enim a spiritu divino, i. e. a mente proba (per metonymiam causae pro effectu) se regi patiuntur, Dei sunt filii, i. e. patri coelesti simillimi et accepti. Jam apo-  
stolus v. 15. ita pergit: „non enim accepisti iterum servile ingenium, ut vobis metuenda sit poena, sed accepisti ani-  
mum filiale, quo Deum confidentes Abba seu patrem nun-  
cupamus.” Deum confidentes patrem vestrum appellare potestis, mutata enim est fors vestra, cum antea vobis pec-  
catoribus, servili ingenio praeditis, sensibus et cupiditatibus servientibus, Deus esset timendus, jam vero, religione

K 2

chri-



christiana ad meliorem frugem redacti ac de summi numeris favore persuasi, patrem benignum in eo videatis.

Si locum ita interpretamur, non est quod in eo moremur et simul multum inde lucis ad alium locum VIII, 26-27., qui saepe interpretes male habuit, redundat.

Pergit apostolus in eadem argumentatione. Filius divinus animo filiali repletus est et ipsa sua indole ( $\pi\tau\epsilon\tilde{\nu}\mu\alpha\tau\iota$ ) de magna hac dignitate confirmatur, (v. 16.) Dei ac Christi est haeres et calamitates hujus vitae non obstant felicitati, qua olim fruetur. Omnis rerum natura particeps quasi est hujus felicitatis et gemebunda exspectat tempus illud, quo honor ac felicitas filiorum Dei manifestabitur. Veri Christiani dum hac fruuntur vita, quanquam calamitatibus oppressi, tamen felices sunt. „*Nova illa indoles adjuvat nos in calamitatibus nostris et, si malorum onere oppressti, quid a Deo sit petendum nescimus, idem est ac si preces fecissimus et Deus suspiria tacita exaudit; πτερυγιανάντες*.”

Talis ad meam opinionem loci hujus difficillimi nexus ac sensus est. Ante omnia videndum, quid sit  $\pi\tau\epsilon\tilde{\nu}\mu\alpha$ , quod apostolus pro nobis intercedere ait. Veteres theologi intelligebant *Spiritum sanctum*, quem pro nobis intercedere putabant. Interpretati sunt hunc locum de *dono quodam supernaturali precum*, quod in gratiae donis esse volebant et multis aliis insuper locis, quorum quaedam infra habemus, Eph. VI, 18. Phil. I, 9. Jac. V, 16. Jud. 20. probare studebant. At praefero recentiorum explicationem, qui per  $\pi\tau\epsilon\tilde{\nu}\mu\alpha$  novam indolem intelligunt, meliorem hominis Christiani animum, quem sectando novam religionem sibi paravit; haec enim significatio in toto capite praevalet et apertus est hujus loci cum superioribus connexus, ut supra demonstrare conati sumus. Non solum in hoc capite  $\sigma\alpha\beta\zeta$  et  $\pi\tau\epsilon\tilde{\nu}\mu\alpha$  sibi opponuntur, sed apostolus totus in eo est, ut felicem illam conditionem filii Dei, ad meliorem frugem ope religionis christianaee adducti, tristi illo statu ho-



hominis, qui cupiditatum imperio paret, quem antea c. VII. depinxerat, opponat, unde patet nullam aliam vocis  $\pi\nu\varepsilon\tilde{\nu}$ - $\mu\alpha\tau\circ\sigma$  significationem locum habere posse.

Ait igitur Paulus homines calamitatibus oppressos, saepius quid a Deo sit expetendum nescire, num miserias deprecari, an patientiam petere, an quasnam preces facere eos oporteat. At veris Christianis tunc animus filialis succurrit, intercedit pro ipsis, causas illorum agit et suspiria tacita, verbis non expressa, a Deo, qui cogitata animi, internam hominum mentem perscrutatur, precum loco habentur et ab eo exaudiuntur. Animus ergo pius et Deo confidens morumque integritas ad preces rite faciendas maxime requiritur et ne verbis quidem semper opus est\*).

Hactenus de *deprecatione Spiritus Sancti*, quam vocant. At non Spiritum Sanctum solum pro salute nostra apud Deum intercedere theologi putabant, sed *filium* etiam hoc munere fungi, praeter alia praecipue ex v. 34. capituli nostri probare conati sunt. Bene, uti solet, totum hunc locum interpretatus est Morus \*\*).

Christus hoc loco  $\varepsilon\nu\nu\gamma\chi\alpha\nu\iota\pi\epsilon\theta\eta\mu\omega\eta$  dicitur. Plurimi interpretum vocabulo  $\varepsilon\nu\nu\gamma\chi\alpha\nu\iota\pi\epsilon\theta\eta\mu\omega\eta$  etiam hoc loco significationem deprecandi tribuere non dubitant et quaerunt, quomodo Christus pro nobis interveniat, num actu quodam, num merito aeterno, num precibus ad Deum fusis, de quibus iterum non una est *omnium* opinio, aliis preces etiam ante mortem fusas e. g. Joh. XVII huc spectare arbitrantibus, aliis locum ad tempus, quo Christus Deo dexter sedet, referentibus. Quae vero lege apud Morum,

nam

\*) Vide (Johann Zacharias Leonhard Junckheim) Von dem Uebernaturlichen in den Gnadenwirkungen. Erlangen 1775. 8. pag. 680 sq.

\*\*) Vide Mori dissertationes theologicae et philologicae Volumen I. Lipsiae 1787. pag. 293 - 307, ubi in praecolla, quam scripsit: De notionibus universis in theologia, dissertatione locum nostrum explicavit aliorumque simul opiniones addidit.

nam facile nos his difficultatibus supersedere posse puto, modo nolimus interpretari, quae nullo modo explicari possunt. Errare enim mihi videntur interpretes, qui vocem ἐντυγχάνειν, quam πολύσημον esse jam in prooemio monui, tam arctis finibus circumscribunt, ut ad preces solas, pro salute nostra a Christo fusas, spectet. Nulla enim in contextu adest causa, qua jubemur voci generali specialiē tribuere significationē. Plurimum lucis locus noster accipit ex Heb. VII, 25, quem Morus conferri jubet. Ibi enim ἐντυγχάνειν est synonimum τῇ σώζειν. Christus ibi summus sacerdos in aeternum vivere dicitur, et inde concludit apostolus eum propterea in aeternum salutiferum esse posse iis, qui per eum Deum adeant, nam vivere in aeternum εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπέρ αὐτῶν. Quis vero hic veteret: *ad preces propter iis faciendas?* Nonne potius hoc loco causa adest, quae vocem sensu generali accipiendum esse docet? Sed eodem modo se habet cum nostro loco, qui ab illa in epistola ad Heb. nulla alia re differt, nisi quod desit comparatio cum sacerdote. Nos fiducia in Deum repletos esse posse in antecedentibus docuerat, iis enim, qui Deum ament, omnia bene evadere. Deus igitur est pro nobis, quis erit contra nos? Quis audebit, nos damnare, cum Christus ille, qui mortuus est et jam Deo dexter sedidit, ἐντυγχάνειν ὑπέρ ἡμῶν, i. e. causam nostram agit? Idem igitur fere est, quod Paulus alias per καταλάσσεσθαι expressit: Εἰρήνην ἔχομεν πρὸς τὸν Θεόν διὰ τῇ Κυρίᾳ ἡμῶν Ἰησῷ Χριστῷ, ut ait Rom. V, 1. Christus regnans idem nobis est, qualis fuit cum pro nobis cruci affixus mortem passus est, causam nostram tueri pergit, quare bene de eo sperare possumus et nemo nos damnare audebit. Ita hic locus bene cohaeret cum antecedentibus et Christus deprecator nil aliud est, quam Christus salutis nostrae auctor, patronus παράκλητος, ut apud Johannem 1 Ep. II, 1. audit. Cum nemini ergo contendendum est de modo, quo Christus causam nostram agere hoc loco intelligatur. Quare neque hoc loco, neque paralelis a nobis allatis quidquam efficitur ad cognoscendam.



cognoscendas Pauli aliorumque apostolorum de Christo deprecatore sententias.

His locis difficilioribus paulo accuratius inspectis, in iis, quae proxime sequuntur, eo breviores esse licet.

Capite XII, 12 et 14, duas de precibus invenimus admonitiones praeclaras quidem, sed non novas, quarum altera v. 12, haec est: “*in precibus sitis affidui*”, i. e. ad contextum, neque in rebus prosperis, neque adversis, preces negligite; altera v. 14 ita audit: “*Bene precamini persequenti-bus vos, bene precamini nec imprecamini*”; locus simillimus Math. V, 44. de quo supra §. 9. locuti sumus.

Cap. XIV, 6. occurrit locus, cuius interpretatione non multum quidem ad cognoscendam Pauli de precibus doctrinæ efficitur, at nihilominus tamen nullo modo praetereundus. Non damnandos esse docet, qui dierum et ciborum delectum faciant, qui enim, ita fere pergit, omnibus cibis fruuntur, Deo gratias agunt ac pio mente id faciunt, et qui non fruuntur pari modo gratum Deo testantur animum. Observarunt viri docti Judæos et Judaizantes gratias Deo egisse, quod lege sancta ciborum discrimen instituisset, idque testari precandi formulas etiam nunc apud Judæos usitatas. Generalis Pauli sententia haec mihi videtur, modo pia ac religiosa mente adducti gratias pro alimentis, quibus fruimur, agamus, nihil interest num eorum delectum faciamus nec ne.

Cap. XV, 5-6. optat, ut Deus, constantiae et solatii auctor, concordiam christianam Romanis largiatur, *ita ut uno ore Deum, patrem domini nostri Jesu Christi celebrent*. Vult igitur quum Christiani Deum laudent, id non solum uno ore, sed et animo pleno mutuae dilectionis fieri. Cæterum hic loca quaedam Psalmorum et Prophetarum leguntur, quibus populus ad laudes Dei canendas admonitur.

“*Per illam dilectionem, quae in nobis professione no-minis Christi et sensu vere christiano nascitur*”, c. XV, 30 sq. Romanos admonet, ut una secum in precibus pro ipso

ad



ad Deum faciendis contendant. Videmus igitur, Paulum communes preces, deprecations imprimis pro aliis factas, mutuae amoris christianaे indicium et firmissimum vinculum putasse. Sed et alio respectu memorabile est hoc dictum, addit enim apostolus argumentum harum precum triplex, primum, ut ipse eripiatur ab adversariis religionis christianaе in Iudea, alterum, ut ministerium, seu pecunia collecta, (v. Act. XXI et sq.) grata sit illis Christianis, et tertiū denique, ut volente Deo laetus ad ipsos veniat et una cum iis animi voluptatem capiat. Idem ergo fere hae praeces continent, quod Paulus sub initium epistolārum a Deo petere solebat. Postremo apostolum non solum probasse deprecations in aliorum gratiam factas, sed magni eas habuisse et quandam apud Deum auctoritatem iis tribuisse inde concludi potest, quod Romanos h. l. ad eas faciendas admonet.

In *prima ad Corinthios epistola* VII, 5. locus ex Judeorum et Paganorum usu explicandus occurrit. Differit apostolus de matrimonio ac de conjugum mutuis officiis. Nullam partem se continere vult ab altera, *nisi id fiat utriusque partis consensu, ad tempus quoddam, ut vacent ad preces faciendas* \*). Sed cur quaeso abstineri vult apostolus a concubitu ad preces faciendas? Pauli tempore apud Iudeos et Gentiles mos obtinuit, quin imo apud Iudeos ab

\*) De vera hujus loci lectione monendum est, addere vulgares editiones τῆς νηστεῖας, quod vero optimi codices, versiones non nullae et multi patres Graeci et Latini (quorum recensum vide apud Griesbachium) omittunt. Externis rationibus multum igitur contra vulgarem lectionem efficitur, nihil vero internis; nam in aetate apostolorum et ab ipso Paulo jejunium cum precibus interdum fuisse conjunctum supra ex locis Act. XIII, 3. et XIV, 23. vidimus, quare per se non alienum est etiam hic de precibus cogitare. At hae internae rationes, quae forsan lectorem aliquem ad addendum illud glossa permoverunt, non sufficiunt ad defendendam lectionem codicūm auctoritate destitutam.

ab antiquissimis temporibus observatus est, ut non minus propter dies festos celebrandos et preces faciendas, quam luctus causa a concubitu se abstinerent \*). Ad hanc consuetudinem respicit apostolus et, ut in toto hoc capite, ita et hoc versu consilium salubre magis dat, quam jubet. Permittit se abstinere a concubitu ad preces faciendas, seu quod idem est ad dies festos celebrandos et vota solvenda; minime vero ait necessarium hoc esse, sed concessum tantum ac idoneum.

Similiter intelligenda, quae apostolus c. XI. de externis quibusdam precantium ritibus docet. Vult viros precantes, seu numine divino quasi afflatos hymnis Dei laudes celebrantes ( $\pi\varphi\varrho\varphi\eta\tau\epsilon\nu\sigma\tau\epsilon\varsigma$ ) \*\*), nullo capit is uti velamine, mulieres vero caput tegere, virum enim nudando caput se dehonestare. Quae omnia ex notissimis Judaeorum et Gentilium moribus lucem accipiunt. Caput tegere non solum submissionis, sed etiam pudicitiae signum erat, quare apostolus viros, qui caput tegant, se dehonestare ait, quippe qui nemini nisi Christo subjecti sint, uxorem vero decere caput in signum submissionis velare, cum praeter Christi mariti quoque imperium agnoscere debeat, quin imo dehonestare eam caput, velo, pudicitiae et honoris signo ( $\varepsilon\xi\sigma\alpha$  v. 10.) deposito, ac fere idem esse, ac si comam radi (quod turpitudinis signum et adulterarum poena erat), passa esset. Eam ob causam uxores v. 10. caput velare jubentur propter exploratores ( $\delta\dot{\iota}\alpha\tau\theta\varsigma\alpha\gamma\gamma\lambda\theta\varsigma$ ). Vult ergo conformare se Chri-

ftia-

\*) Ita, ut paucis exemplis rem illustrem, Moses, dum populum ad accipiendam legem divinam praeparat, Exod. XIV, 9. a conbitu abstineri jubet. Conferri possunt praeterea 1 Sam. XXI, 5. Juvenalis Satyra VI, v. 535 et 536 ac Tibullus Lib. II. Elégia I, v. 11.

\*\*)  $\Pi\varphi\varrho\varphi\eta\tau\epsilon\nu\sigma\tau\epsilon\varsigma$  h. l. respondet Heb. הַתְּנִבָּא Exod. XV, 20. Num. XI, 25. 1 Reg. XVIII, 29.



stianos ad mores illius temporis, ne profanis eorum cultum explorantibus in turpitudinis suspicionem cadant. Illud διὰ τὸς ἀγγέλους summi igitur momenti est, quia ex eo intelligimus, non ad Deum eo facilius movendum, seu ex superstitione quadam, sed potius decoris et externae dignitatis causa, Paulum ita praecipisse.

Proxime sequitur locus quam maxime obscurus, c. XIV, 13 - 19., quem ut rite intelligamus, digressione aliqua opus erit. Est ibi sermo de *linguarum dono*, de qua re viri docti \*) multum disceptarunt, quorum vero opiniones dijudicare hujus loci non est.

Ut igitur primum loci contextum teneamus haec monenda sunt. Turbata fuisse videtur Corinthiorum ecclesia controversiis de charismatibus (περὶ τῶν χαρισμάτων seu τῶν πνευματικῶν), quare Paulus lectores de usu ac utilitate eorum edocere statuit. Recenset varia donorum spiritus genera et, quanquam diversa, ab uno tamen spiritu auctore ea profecta esse ait; quare Christianus variis his fa-

\*) Vide

1. Bardili commentatio de significatu primitivo vocis προφῆτης, ex Platone eruto, cum novo tentamine interpretandi 1 Cor. XIV. Göttingen 1786.
2. Abhandlung über die Geistesgaben nach 1 Cor. XII - XIV. In Eichhorn's Allg. Bibliothek. Band II. pag. 757 - 859. et Ibid. Band I. pag. 91 sq.
3. Paulus Repertorium für biblische und morgenländische Literatur Thl. I. pag. 266 sq. Thl. II. pag. 273 sq.
4. Döderlein in Bibliotheca theologica Tom. IV. pag. 222.
5. Notitiae historiae epistolarum Pauli ad Corinthios interpretationi servientes §. VIII. pag. 43 - 72. In Storrii Opusculis theologis. Tübinger 1788.
6. Herder von der Gabe der Sprachen am ersten christlichen Pfingstfeste. Riga 1794.
7. Ernesti progr. de doni linguarum natura. Lipsiae 1765.
8. Noeffelti prolusio in locum Pauli 1 Cor. XII, 4 - 11. Halae 1803.
9. Griesbachii programma pentecostale a. 1780.



facultatibus et ministeriis ad amorem augendum, nec vero ad discordiam exercendam uti debeat; praestare enim amorem omnibus illis dotibus, adeoque nos eo intentos esse oportere, ut eum ante omnia nobis paremus, quanquam caetera quoque excellentiora dona non negligenda sint. Prophetiam autem praestare linguarum dono. Jam v. 3. et 4. accurate comparatis colligere possumus prophetiam non esse facultatem praesagiendi futura, nec eum προφητεύειν, qui furore vel afflato divino correptus loquatur, aut obscura V. T. vaticinia interpretetur, sed eum potius prophetam esse, qui docendi gaudeat facultate, et ita hoc munere fungatur, ut ea loquatur, quae hominibus profint, ab omnibus intelligi possint et ad communem adhortationem et consolationem faciant. Talis propheta ad v. 4. universo coetui prodest, qui vero γλώσσαις λαλεῖν siudet, sibi tantum conductus, (v. 6). Videmus igitur per γλώσσas intelligi linguas exteris, paucis tantum hominibus notas. Porro λαλεῖν γλώσση et λαλεῖν γλώσσαις inter se permuntantur, sunt igitur synonyma et usum linguarum barbararum in rebus sacris significant. Vocabulum γλώσση significat vocem, quae, quanquam sensu non caret, intelligi tamen non potest, et ἐρμήνεια (v. 13.) indiget, quoniam desumpta est ex lingua quadam extera. Non opus est hanc linguae exteris notitiam divinitus nobis revelatam esse; sed bene illa γένη γλώσσων pro munere divino haberi et πνεῦματi tribui potest, quanquam, qui ea gaudebant, usu et experientia linquas exteris didicerant; saepius nimirum in sacro codice omnes facultates eximiae omnesque hominum vires Deo ac Spiritu Sancto (τῷ πνεῦματi i. q. רוח אלהים) tribuuntur, et solenne imprimis est scriptoribus sacris omnia, quae ad religionem christianam spectant, ad πνεῦμα Θεός referre. Modo haec ponamus, omnia nobis erunt perspicua et puto eam, quam proposui, interpretationem, probatum insuper multis viris doctis nec a me inventam, singulis, quae in hac epistolae parte occurrunt, quam maxime

L 2

acco-



accomodatam esse. Judaei nimirum magnam de linguae hebraeae sanctitate fovebant opinionem eamque prae omnibus caeteris idoneam, quin imo solam aptam ad laudem divinam celebrandam et res sanctas tradendas arbitrabantur. Videtur ejusmodi Judaeos Corinthum venisse et lingua vernacula ad preces faciendas et de religione differendum usos esse, unde illud ortum est detrimentum, ut a nemini intelligi possent. Alii Christiani facilime ad eos imitandos incitari poterant, ut et ipsi linguis barbaris in concionibus uti vellent et nihil ad communem utilitatem ficerent, qua de causa Paulus talem linguarum exterarum usum non quidem prorsus interdicit, sed sub ea tantum conditione permittit, ut quicunque γλώσσαις λαλεῖν vellet, ἐρμηνείαν simul addat, aut si ipse forsitan linguam vernaculam ejus regionis, in qua versetur, non calleret, addendam curet, v. 5 et 27.

His praemissis ad loci ipsius, quem supra indicavimus, explanationem proprius accedere possumus et videre, quatenus illa γένη γλώσσων ad Pauli de precibus doctrinam spectet. Jubet apostolus eos, qui lingua peregrina utuntur, sic precari, ut simul interpretentur \*). „Si enim, v. 14. pergit, lingua peregrina in precibus faciendis utor, animus meus (נִשְׁיָה ego) quidem orat; (ipse ego intelligo quid ore, seu animum meum quidem ad Deum dirigo) sensus vero precum mearum (οὐαὶ με) alteri nullum afferit fructum (ἀκαρπὸς ἐστι, seu ut est v. 17. οὐ ἔτερος ἐν ὅμοδομεῖται). Quid igitur? Num preces fundam et Dei laudes canam animo tantum, seu ita ut ab aliis intelligar (τῷ νοῦ)? Quo autem pacto, si animo tantum Deo gratias agis, imperitus linguae peregrinae (οὐ αναπληρῶν τὸν τοπὸν מִלְאַמְרָתֶךָ) Amen

\*) Ita verba διόπερ οὐ λαλῶν γλώσσῃ προσευχέσθω sc. ἔτως, ἵνα διερμηνεύῃ v. 13. explicanda esse puto, nec vertendum: roget, ut barbare dicta interpretari discat; quanquam haec interpretationis varietas ad sensum nihil efficiat.

*Amen dicere (preces tuas voce γν̄ approbare) poterit quando, quae verba feceris, non intelligit? Non nego te pulchre Deo gratias egisse, sed alter nullum inde percepit fructum. Gratias ago Deo, quod magis vobis omnibus linguarum peregrinarum peritus sim, at malo tamen, pauca quaedam ita a me in ecclesia pronuntiari, ut intelligar et alios doceam, quam orationem amplissimam in lingua peregrina exarata haberi.*" Vult igitur Paulus in fundendis precibus publicis communis fructus semper haberi rationem, atqui non simpliciter improbat usum linguarum peregrinarum, sed abusum vocat, dum eas adhibemus in alterius detrimentum. Maximi momenti est hoc Pauli dictum, ex quo cognoscimus, per puras eum foviisse opiniones de precum publicarum utilitate ac necessitate et arbitrat<sup>ur</sup>e non Dei, nec nostra solum, sed aliorum praecipue omnisque coetus causa preces publice fundendas esse, ut et cohortemur ad pietatem, et augeamur veritatum salubrium cognitione et percipiamus solatium, quae omnia sub cincopēis imagine comprehenduntur. Christiani e contrario Corinthii infucati erant Judaeorum erroribus, linguam peregrinam et ante omnia hebraeam sanctiorem et magis idoneam arbitrantes ad preces faciendas. Neque illud denique silentio praetereundum est, quod ex hoc loco tenemus, consuetudinem illam per antiquam, in ecclesia vetere servatam, ut auditores publicas preces voce γν̄ approbarent, jam his primis temporibus a Judaeis ad Christianos transiisse.

In secunda Pauli ad Corinthios epistola haec fere de precibus leguntur. Statim I, 11. est locus insignis, unde nostrum depreciationibus magnam tribuisse vim patet. Certiores facit lectores de calamitatibus, quas in Asia expertus erat. Se desperasse jam de salute ait, ita ut non suis viribus, sed Deo confiderit, qui ex tantis periculis eum eripuerit, a quo speraret, ut etiam nunc eum eriperet, (puto ex calamitatibus, quae a Judaeis instabant,) si ipsi (Corinthii) precibus ad Deum fusis eum adjuvare vellent, ita ut a mul-



multis hominibus propter beneficium in apostolum collatum grates agerentur. Admonet ergo Corinthios ad depreciationes in preceptoris favorem faciendas, atqui magnas facit.

Idem fere patet ex IX, 11-14. Est ibi sermo de stipe pro Hierosolymitanis conferenda. Admonet Corinthios ad ingenuam liberalitatem, quam effecturam esse ait, ut multi gratias agerent Deo. Stipe enim liberali non solum sublevari homines egenos, sed multos etiam ad gratias Deo agendas impelli. „*Deum laudabunt, inquit, quod hac stipe obedientiam erga religionem, quam professi estis, et sinceram vestram liberalitatem declaraveritis. Facient etiam preces pro vobis, quos amabunt propter immensam Dei gratiam*”. Quibus omnibus Paulus non solum docet, pauperum esse, ut beneficiis ornati Deo gratiam ostendat mentem et interveniant pro salute hominum beneficorum, sed simul Corinthios his propensiones reddere studet ad liberalitatem exercendam, nec non magnam his pauperum precibus et gratiarum actionibus tribuit vim et efficaciam.

Ex epistola ad Ephesios duo huc pertinent loca, quorum alter V, 19-20., alter VI, 18-19. legitur. Quod ad priorem locum attinet, apostolus in antecedentibus suos ad vitam honestam ac sobriam agendum admonuerat, ne vino se obruant, sed pleni sint sensu pietatis etc. et v. 19. addit: *docete vos invicem \*) psalmis, hymnis et carminibus sacris, canentes ac Deum ex animo celebrantes, gratias semper patri coelesti pro omnibus beneficiis acceptis agentes nomine* (i. e. secundum voluntatem) *Domini nostri Jesu Christi.*” Eadem fere Coloss. III, 15-17 leguntur, mutato paululum contextu. Patet ergo non minus ex his modo allatis, quam ex iis, quae supra ad 1 Cor. XIII, 9. vidimus, quamnam apostolus de precibus publicis foverit opiniorem,

sem-

\*) Hanc verborum λαλεύτες ἐπιτοῖς versionem ob locum paralelum Coloss. III, 16., praefero.

semper nimis in iis fundendis rationem esse habendam communis auditorum utilitatis, ut iis aliquid ad adhortationem effici possit.

In altero loco Eph. VI, 18 sq. Paulus ad deprecationes admonet, quas *ἐν πνεύματι* i. e. *ex animo* et *ἐν πνεύματι καιρῷ* i. e. *quovis tempore* fieri vult. Cohortatus erat Christianos, ut sint constantes in religione, similitudine a milite desumpta, qui armis induitus proelium committit. Jam, omissa priori illa similitudine, aliud constantiae adminiculum commemorat, quod in precibus faciendis consistat. Quare suos cohortatur, hanc ob causam (*ἐις αὐτὸν τὰ τοῦ*, ut nempe firmi persistant in religione et constantes sint,) vigilare et perseverare, i. e. assiduos et sollicitos esse in precando pro omnibus Christianis (*ἀγίοις*) et pro ipso apostolo, ut ei detur occasio libere et palam docendi doctrinam Jesu Christi hucusque adsconditam, ob quam jam vinculis traditus fit. Iterum ergo videmus magnam tribuisse Paulum precibus vim ad stabiliendam fidem ac virtutem nostram, et agnoscimus praeterea, quale voluerit esse precum argumentum, et quae sit earum faciendarum causa imprimis idonea.

In *epistola ad Colossenses*, cuius mira est cum ea ad Ephesios similitudo, praeter eum locum III, 15 - 17, quem paulo ante laudavimus, II, 17. ad gratias assidue pro religione christiana agendas adhortatur. Sed non opus est diutius in hoc loco morari, nihil enim difficultatis et nihil novi ineft. — IV, 2 - 3. Colossenses adhortatur, ut perseverent in depreciationibus, conjunctis simul gratiarum actionibus, et precibus etiam contendant, ut Deus det apostolo occasionem docendi mysterium evangelii, ob quod jam vinculis traditus fit. Simillimus est hic locus illi Eph. VI, 18., quare explicatione non indiget.

In *epistola ad Philippenses* statim ab initio I, 19. se scire ait, illud, quod nempe in vincula conjectus sit, in commodum suum cessurum esse, ipsis pro se precantibus et adjuvante Spiritu Christi (non in precibus, sed opem ferent-



ferente ad liberationem apostoli). Atqui iterum videmus magnam putasse Paulum deprecationum efficaciam, praesertim ecclesiae pro apostolo intercedentis. — His addi possunt, quae praecitate IV, 6. 7. ita docet. „*Nolite solliciti esse, sed semper* (εὐ πάντι sc. χρέων) *seu πραγμάτι, in quavis re) precibus cum gratiarum actionibus conjunctis, desideria vestra deferte ad Deum, et salus divina omni humana cogitatione major, animos vestros communiet et firmos reddet in Christo Jesu.*” Magna ergo est precum pia rum vis ad laetiorem reddendum animum et firmandam virtutem nostram; sed bene tenendum gratiarum quoque actiones esse conjugendas cum his precibus.

Quae in prima ad Thessalonicenses epistola V, 17. 18. 25. occurunt loca notissima laudasse sufficit, saepius enim eadem fere habuimus. Verba Pauli sunt haec: „*Affidui estote in precibus. De rebus omnibus* (εὐ πάντι) *Deo gratias agite, haec enim est voluntas Dei per Christum annuntiata*”, et v. 25: „*Precamini fratres in mei favorem*”. — Cum his comparari possunt, quae in secunda ad Theff. III, 1. leguntur: „*Praeterea preces facite pro me, ut doctrina christiana celeriter propagetur* (τρέχῃ) *et illustretur sicut apud vos.*

Prima ad Thimotheum epistola II, 1. sq. apostolus adhortatur ad preces faciendas pro omnibus hominibus, pro regibus eorumque summis ministris. Cum h. 1 plura vocabula δεήσεις, προσευχὰς ἐντεύξεις, ἐνχαρισίας legamus, aptum mihi videtur, hic quaedam differere de variis precum generibus, quas Paulus distinxerit. Fuerunt v. d., qui voces illas pro synonymis habere vellent. Vulgo ita distinguunt, ut δεήσεις sint deprecations pro malis avertendis, προσευχὰς preces ad bona nobis obtainenda, ἐντεύξεις preces pro aliis, ἐνχαρισίας gratiarum actiones. Confitendum sane voces προσευχὰς et δεήσεις interdum, ut Heb. 9. Daniel IX, 3. Eph. VI, 18. pro synonymis haberi posse. Huc accedit, nos apostolum, doctorem popularem nec philosophum legere, quare non summa concinnitas et accuratae ac



ac strictae notionum definitiones ab eo exspectari possunt. At tamen differre nobis videntur illa vocabula. Δεήσεις vox generalis videtur, sub qua tanquam species caeterae comprehenduntur, et primo quidem προτευχαί, i. e. preces pro nostra salute propria, tam pro malis avertendis, quam pro bonis obtinendis factae, lingua vernacula *Bitten*, porro ἐγτεύξεις, i. e. preces pro aliena salute, quod nos dicimus *Für bitten*, et denique ἐνχαρισίαι, i. e. gratiarum actiones pro beneficiis cujuscunque generis, quibus Deus nosmet ipsos, aut alios ornavit, germanice: *Dankgebäte*. Varia igitur precum genera rite ita distinxit apostolus, nisi quod preces, quae ad celebrandam Dei laudem fiunt, (*Lobgebäte*) omiserit, de quibus alias Eph. V, 19. Coloss. III, 16. locutus est. At potest etiam hoc genus sub gratiarum actionibus comprehendi, ita ut alia tantum earum sit species. — Sed haec jam mittamus, et videamus, quid de singulis h. l. doceatur. Vult apostolus fieri has preces pro omnibus hominibus, pro regibus et eorum summis ministris, ut vita placida et tranquilla pie atque decore fruamur, i. e. ut otio et tranquillitate reipublicae utamur, non ad libidinem exercendam, sed ad pietatem et virtutem sedulo sectandam. Hoc enim, ut oremus scilicet pro reipublicae moderatoribus, honestum et gratum esse Deo sospitatori, v. 3. addit. Videmus ergo perantiquam esse consuetudinem preces et gratiarum actiones pro magistratibus faciendi, nec serius in ecclesiam christianam invectam. His illucet, apostolum non solum voluisse preces fundi pro iis, qui unam nobiscum profitentur religionem, sed pro idolorum etiam cultoribus, nam ut illud taceam, quod dissertis verbis ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων dixerit, magistratus tum temporis Judaeos et Paganos fuisse constat. Denique quale oporteat esse illarum pro magistratibus precum argumentum, praeclare docet, ut nimirum pace ac securitate fruatur respublica. Tales preces jucundas esse demum addit Deo, qui omnes homines cognitione verae religionis felices fieri velit.

M

Ibd.



Ibd. IV, 3-5, cum antea eos vituperasset, qui propter simulationem severiori vitae generi student ac matrimonio et quibusdam ciborum generibus se abstinere jubent, omnia a Deo creata esse docet, ut percipientur *cum gratiarum actione* (μετὰ ἐνχαρισίας, v. 5. ἐντεύξεως) a Christianis, qui sciant bonum neque spernendum esse ullum cibum a Deo creatum, modo cum gratiarum actione fruatur, *doctrina enim divina et precibus purum et licitum reddi*. Eadem fere Röm. XIV, 6. legimus.

Ibid. V, 5. verae et plane derelictae viduae esse ait, ut in Deo reponat spem et precibus assidue (νυκτὸς καὶ νημέας וְלִילָה יוֹם) utatur.

Denique in *epistola ad Philemonem* v. 22, se sperare ait, fore, ut ob preces Philemonis et suorum iis reddatur. Simillima loca saepius jam habuimus.

Ex his, quae hucusque collegimus, Pauli locis uberrime intelligi potest, quamnam foverit de precibus opinionem; sed antequam dispersa haec et nullo ordine inter se conjuncta dicta, in summam quandam redigere et inter se ac cum aliorum dictis comparare conamus, prius caeterorum quoque apostolorum opiniones paulo accuratius inspiciamus.

### §. 13. Aliorum apostolorum, quorum scripta in sacro codice superfunt, de precibus sententiae.

In *epistolis*, quas vulgo vocant *catholicas*, multa de precibus leguntur, cum autem reliquorum apostolorum opiniones nusquam fere ab iis discrepent, quae hucusque in Pauli scriptis invenimus et, si unum alterumve locum excepis, nihil novi addant, loca praecipua illustrasse sufficiat.

#### B) Petrus.

Quod ad *Petrum* primo attinet, in *prima* ejus *epistola* duo invenimus dicta, quorum prius, quod III, 7. legitur, insignem sane in historia nostra meretur locum. Vidimus enim



enim Paulum precibus magnam vim et auctoritatem tribuere, nec dubitare, quin piae preces a Deo exaudiantur, sed nusquam tamen, quanquam idem eum statuisse ex omni ejus doctrina facile colligi possit, *dissertis verbis non omnes ratas fore preces ait.* Petrus vero h. l. conjuges adhortatur ad vitam probam, ut vivant uti Christianos decet et mutua sibi praestent officia, *ne preces earum impediuntur,* i. e. vim suam et efficaciam amittant. Probum ergo precantem esse oportet hominem, quo Deus ejus preces exaudiat; nam quae Petrus de conjugibus docet aperte ad omnes homines pertinent.

Altero loco <sup>1</sup> Ep. IV, 8. Petrus, cum in antecedentibus de supremo die locutus esset, *sapientes ergo este,* ait, *et sobrii ad preces faciendas.* Comparari potest hic locus cum Paulino illo <sup>1</sup> Thefl. V, 6. 8. Uterque locus tropicus est et nostro hic fere inest sensus: attenti ac prudentes este, sapientem institute vitam et vacate a perturbationibus ac vitiis, quae cum ebrietate comparari possunt, cavete et secutamini bonos et compositos mores, quo preces facere possitis. Ita ex hoc quoque loco patet, secundum Petri doctrinam eos tantum rite precari, qui vita honesta studeant.

### C) Johannes.

Johannes Christum παροιλητον, patronum nostrum vocat <sup>1</sup> Ep. II, 1. sed quo sensu jam supra ad Rom. VIII, 34. diximus. Praeterea haec ejus dicta memoratu digna visa sunt.

<sup>1</sup> Ep. III, 21. \*) ita docet, “*si animus noster nos non condemnat fiduciam in Deo ponere possumus et, quaecunque petamus, accipiemus ab eo, nam praecepta ejus servamus, et quae ei grata sunt facimus.*” Quicunque ergo probitati studet rectique sibi conscientius est, omnia bona a Deo sperare potest. Spectat hic locus ad omnes homines, quod negari nullo modo potest, sed modo rite eum intel-

M 2 ligat.

\*) De hujus loci contextu comparari potest Noesseltus in Sylloge commentationum edita a D. Julio Pott Vol. VII, p. 1 sq.

ligamus, non est, quod his nos offendit patiamur. De probis enim hominibus tantum loquitur, quorum preces a Deo exaudiuntur, *si nempe id petunt, quod voluntati divino congruit*; nam tali modo hunc locum Johanneum intelligendum ac limitandum esse aliud ejusdem apostoli dictum V. 14. probat, ubi *ea*, ait, *est fiducia, quam in Deo ponimus, ut eum nos auditurum esse confidamus, si quid divinae voluntati congruum petimus.* Ita apostolus dictum suum ipse restringit, unde me eum ex sua mente interpretatum esse patet. Praeterea Johannes v. 15 ita p̄git: “*et si scimus eum exaudire, quae petimus, scimus etiam nos accepturos esse res ab eo petitas.*”

Sed his demum adjungendum aliud Johannis dictum perdifficile, *quod v. 16. ej. cap. legitur*, hujus argumenti: pro iis qui *peccatum haud mortiferum* commiserunt est interveniendum, minime vero pro iis, qui *peccati mortiferi*, rei sunt, petendum. Constat admodum varias esse interpretum de peccatis mortiferis sententias et hoc loco nisi eam, apud catholicos praesertim doctores solitam, distinctionem *peccatorum mortalium et venalium.* Per *peccata mortalia* apud catholicos ea intelligi solent, quae internam Dei gratiam, fidem, spem, ac amorem, virtutes cardinales, plane tollunt, ita ut homo non amplius idoneus sit ad virtutem exercendam, quae ergo peccata aeternae culpae eum reum reddunt. *Venalia* e contrario ea sunt, quae gratiam Dei non prorsus tollunt, sed debiliorem tantum reddunt, ideoque poenis non aeternis punienda sunt. Sed de his Johannes nihil ait, et illa serius inventa gratiae ac virtutum cardinalium theoria, ut ita dicam, prorsus ignota ei erat. Alii ob Math. XII, 31. 32. *peccatum in Spiritum Sanctum* intelligunt et rationibus exegeticis sane non contemnendis haec opinio fulcitur. Sed iterum quaeri potest, quid sit *peccatum in Spiritum Sanctum*, de qua re non consentiunt interpres. Verisimillimum tamen videtur intelligendam esse perversam eorum mentem, qui opera Christi divina prodia-



diabolicis habent. Talia peccata *mortalia* dici possunt, quia Jesus ait neminem veniam eorum impetraturum esse. Sed ut paucis rem illustrem, nec in adnumerandis et di-judicandis aliorum opinionibus diutius verter, haec mo-nebo. Non ait Johannes, quid intelligendum sit per pec-cata mortalia, nec cur non interveniendum pro eo, qui tale quidquam commiserit. Peccatum mortale duplex esse potest, seu quod mortem proprie sic dictam parat, vel ipso factu, vel ob legem civilem, quae capitum poenam in tale de-lictum constituit, seu quod mortem parat moralem, ut ita dicam, i. e. poenam aeternam. Pari modo intervenire possumus pro diversa peccati poena, seu ad servandam reo vitam, seu ad obtinendam veniam. Denique interveniri potest pro reo quodam, non apud Deum solum sed etiam apud magistra-tus, ut Rosenmüllerus, quem secutus est Morus, lo-cum Johanneum interpretari voluit. Admodum igitur du-biae interpretationis est hic locus ob nimiam brevitatem. Videtur distinctionem in peccata mortalia et venalia, (חטא לה מוות וחטא לה למוות) ex Judaeorum forsan Scholis de-sumtam, usitatam tuui temporis et notam fuisse, ita ut lec-tores bene intelligerent apostolum. Nos vero distinc-tionem, cuius fundamentum ignoramus, conjecturis tantum assequi possumus, in quibus ea proxime ad veritatem ac-cedere mihi videtur, secundum quam peccata mortalia ea putamus, quibus lege Mosaica poena mortis statuta erat. At cum nescimus, quaenam sint peccata mortalia, pari modo cur Johannes et apud quem pro iis interveniri vo-luerit, dijudicare non possumus. Quare cum conjecturis in his toria nostra nullum tribuendum putamus locum, nihil prorsus ex hoc obscurio Johannis dicto probari posse censeo. Hactenus de Johanne.

**D) Jacobus.**

*Jacobus* in epistola catholica, quae ad nos pervenit, saepius de precibus et ante omnia de earum vi et efficacia loquitur. Ita statim in initio epistolae I, 5 - 7. his fere uti-



utitur verbis: “*si cui vestrum desit sapientia, petat eam a Deo omnibus liberaliter largiente, nec exspectationem fallente, et accipiet eam. Petat vero non dubitans (de benigna scilicet Dei voluntate). Qui enim dubitat similis est maris fluctibus, qui vento jactantur et turbantur. Ne enim arbitretur talis homo, duplex animo, inconstans in omnibus actionibus suis, se aliquid accepturum esse a Deo*”.

Per σοφίαν v. 5. sapientiam seu prudentiam et eam imprimis, quae in perferendis calamitatibus conspicitur, ob contextum intelligendam esse puto, atqui apostolus non loquitur de precibus pro obtainendis rebus terrestribus, sed pro impetrandis bonis ad animi salutem pertinentibus. Tales preces a Deo, bonorum omnium largitore benignissimo, exaudiri ait, modo rite sint factae, seu fide conjunctae. Precantem ergo oportet non dubitare de benigna Dei voluntate, sed fide opus est, quo precibus aliquid a Deo impetraret.

Non autem *fiducia* solum opus est ad impetranda bona, quae a Deo petimus, sed *morum etiam puritate ac proba vita*. Perverse preces faciunt, qui bona a Deo petunt, ut voluptatibus indulgere possint. Haec Jacobus IV, 3. praeclare ita docet: “*etiam si precemini non obtinebitis, quoniam perverso modo preces funditis, ut voluptatibus vestris indulgere possitis, Quare, v. 8. addit, proprius ad Deum accedite, (vitam ad ejus praecepta institute) et vobis approxinquabit. Purgate manus, peccatores! et mentis puritatem operam date, qui duplici estis animo*”.

Sub finem epistolae V, 13 seq. occurrit locus simillimus dicto illo Sirachidae XXXVIII, 9 - 15 supra laudato. Quavis vitae conditione preces sunt facienda, in rebus adversis precandum, in secundis Dei laudes canenda. Aegroti presbyteros ad se vocare debent, qui eos nomine Christi oleo ungant et precentur pro obtainenda sanitatem; preces enim piae cum fiducia factae juvant aegrotum et Dominus eum sanabit ac peccata (quae pro more antiquo morborum



borum causa habebantur, Jes. XXXIII, 24. Math. IX, 5) ei remittet. Quare peccata sunt confitenda et alium pro aliis sanitate orare decet, multum enim valent *efficaces pii preces* \*), quod Eliae exemplo (1 Reg. XVIII.) probari potest. Tale fere est h. l. argumentum. Negari igitur nequit, tribuisse Jacobum *precibus piorum hominum* magnam vim ad recuperandam sanitatem, sed, ne nimis superstitionem putemus apostolum, bene tenendum, eum non dicere *omnes* hujus generis preces exaudiri et docere etiam, olei unctionem, seu medicamenta (variam enim fuisse scimus olei in regionibus orientalibus usum ad medendos morbos) non esse negligenda. Nihil ergo h. l. inest de sacramento, quod ecclesia catholica ita vocat, supremae unctionis.

#### E) *Judas,*

In parva illa *Judee* epistola v. 20. lectores *in Spiritu Sancto orare* jubentur. Quid hoc? Πνεύμα ἀγίον h. l. de meliori vitae genere, ad quod per religionem christianam adducimur, intelligendum et precari in spiritu sancto nil aliud est, quam precari cum tali mente pia et proba, qualem per fidem religionis divinae in nobis effici fas est. Similia saepius legimus.

#### F) *Auctor epistolae ad Hebraeos.*

Restat *epistola ad Hebraeos*, de cuius vero auctore non una est, tam veterum, quam recentiorum opinio. Illud tantum certo constat et ex toto epistolae argumento probari potest, incidere eam in aetatem apostolorum, quare loca

\*) Πολὺ λογίσις δέησις δικτις ἐνεργειένη, quod multi de precibus inspiratis intelligere voluerunt, sed sine ulla ratione exegetica; formulam enim illam ex graecitate accipiendam esse pro δέησις δικτις πολλὰ λογίσις ἐνεργεῖν, alii jam observarunt interpretes.



loca insignia, quae in ea de precibus leguntur, laudare debemus.

Primus locus IV, 16. haec fere verba continent: “*Accedamus igitur bono animo ad thronum gratiae*, (i. e. Dei, benigni gratiae auctoris), *ut favorem (ελεον i. q. ρύτη) consequamur et contingat nobis beneficium auxilii opportuni*”. Dixerat in antecedentibus nos habere pontificem maximum, qui perinde ac nos omnia afflictionum humanarum genera pertulerit, bono igitur animo (*μετὰ παρρησίας*) nos ad thronum Dei precibus appropinquare posse, et benevolentiam ejus implorare. Conferrendus est ergo hic locus cum supra laudato Rom. VIII, 15., qui eandem fere sententiam continet.

Altero loco XIII, 18. *a lectoribus pro Je preces fundi* vult, se enim recti sibi conscient esse, cum in omnibus rebus optima consilia capere (vel, si cui forsan magis haec interpretatio arrideat, cum semper vitam probam inire) studeat; eo gravius autem ad preces admonere, ut ocius iis restituatur. Haec quoque saepissime in Pauli epistolis invenimus, quare ne verbum quidem addamus.

Caeterum pauca sunt monenda de imagine sacrificiorum et pontificis maximi, quae per totam epistolam deprehenditur. Docere studet epistolae auctor contra Judizantes, Christum multo superiorem esse Mose et pontifice maximo Veteris Testamenti omnibusque aliis sacerdotibus. Quam ob causam Christum comparat cum pontifice Judaeorum maximo et munus, quod obiit, cum sacerdotio. Vera Christus obtulit sacrificia et re vera pontifex fuit maximus, qualis Melchisedek. Sicut antea sacerdos sacrificiis oblatis intercedebat, nunc Christus apud Deum intercedit pro suis. Sacerdotio fungitur sempiterno, quare in perpetuum servare potest homines, qui per eum Deum adeunt (*τὰς προσερχόμενας*) i. e. pie colunt, quia semper vivit suorumque causam agit, v. VII, 25. Quae Christi intercessio quatenus ad preces spectet, jam supra ad Rom. VIII, 34. exposuimus  
nec



nec opus est, quae ibi diximus hic repetere. Sacerdotem in adyto templi sacrificia offerentem, Moses quidem, quod scimus, preces facere non jussit, sed quod jam per se verisimile est, apud Philonem \*) legimus, fecisse eum preces, praesertim pro uberrimo agrorum proventu. Sed quamquam haec ita sint, generalius tamen has voces accipendas puto, nam nusquam ab apostolo Christi intercessio ad preces nominatim refertur. Tali igitur sacerdote ac patrino a Deo nobis dato, jam non opus est sacrificiis et holocaustis pro peccatorum remissione oblatis. Deum pie ac sincere colere debemus, fide et fiducia pleni, quoad animum puri \*\*) a malorum conscientia, et quoad corpus loti aqua pura, i. e. Deum colere debemus interna et externa pietate in animo posita et rectefactis conspicua; v. Heb. X, 22. Haec summa est totius epistolae.

*Apocalypsin* denique, de cuius aetate, auctoritate, et authentia varie semper judicatum est, eo magis silentio praeterire licet, quia nihil fere novi de precibus in ea occurrit, nec quidquam, quo ea, quae hucusque vidimus magis exornari et illustrari possint. Duobus locis *thymiamata*, symbola precum a sanctis (i. e. Christianis) factarum, vel potius exauditionis earum, nominantur, V, 8. et VIII, 3. Interpretandum hoc ex Judaeorum ritibus, apud quos, dum populus preces ad Deum fundebat, suffitius

\*) Legatio ad Cajum c. 77. Opera Tomus II. pag. 591. editio Mangeyi: ἐτι τὸν ἀδυτὸν τὴν ἔνταυτὴν οὐ μέγας ιερεὺς ἐσέρχεται, τῷ οὐρανῷ λεγομένη μόνου, ἐπιθυμίσων καὶ πατὰ τὰ πάτρια ἐνξύμενος Φορᾶν ἀγαθῶν, ἐνετηρῶν τε καὶ ἐιρήνην ἀπασιν ἀνθρώποις.

\*\*) Ἐβραντισμένοι adspersi, adspergendo purgati, desumpta compunctione a lustrationibus mosaicis.



tus adolebatur, cf. Luc. I, 10. Primo illo Apocalypseos loco quatuor animantia et viginti quatuor presbyteros et altero loco angelum suffitum, precum symbolum, adolevisse dicitur, quod ex Judaeorum opinione, quam apud Tobiam XII, 2. invenimus, angelos nimirum preces ad Deum perferre, interpretandum est. Praeterea auctorem hujus libri permagnam putasse precum efficaciam facile intelliges, si loca dua VI, 9. 10. et VIII, 3 sq. inter se comparabis; ultimo enim loco preces sanctorum, VI, 9. 10. factas, Deo gratias fuisse symbolice significatur et declaratur, nunc in eo esse, ut exaudiantur, expetitum a Christianis miseriarum exitum prope instare. Sed omnia haec diutius considerare aliaque loca addere vix operae pretium est et his me hanc disquisitionis partem, in qua insignia sacrorum scriptorum N. T. de precibus loca colligere et illustrare staueram, ad finem perduxisse arbitror.

## P A R S   T E R T I A.

BREVIS RECENSUS VARIARVM DE PRECIBVS OPINIONVM, AC COMPARATIO EORVM,  
QVAE CHRISTVS ET APOSTOLI  
DOCVERVNT, CVM IIS, QVAE ANTEA  
TRADITA ERANT.

§. 14. Recensus ac comparatio variarum de externo precantium ritu, de precum indole, argumento et necessitate sententiarum.

Jam vero, quo facilius fructum aliquem ex nostra disquisitione capiamus, simulque melius religionis christianaee in doctrina de precibus praestantiam vindicare et confirmare possimus, supereft, ut quae Christum apostolosque de precibus docuisse cognovimus, breviter inter se et cum iis, quae antea tradita erant, comparemus. Eo magis hac comparatione et recensu variarum de precibus opinionum opus



opus esse mihi videtur, quia in re ipsa tractanda saepissime historiae enarrationem disquisitionibus criticis interrumpi necesse erat. Tali comparatione conspectum faciliorem reddi puto, qui ordine historico, quem semper sequendum esse arbitratus sum, ne systematis studio inductus meas sacris scriptoribus affingerem opiniones, paulo impeditior factus est. Jam vero, cum de singulis vidimus locaque explicavimus, ordine quodam scientifico progredi licet et, quid de quavis parte doctrinae de precibus sacris scriptoribus visum sit, exponere et inter se comparare. Sed ne fines hujus dissertationis egrediamur, brevitati studere nos oportet, quod vero sine ullo perspicuitatis et absolutionis detrimento probe fieri potest.

Vidimus igitur ab antiquissimis temporibus semper vi-  
guisse consuetudinem preces faciendi, quae vero preces pro  
aetatis ac hominum indole variae erant. A *Patriarchis* pre-  
ces tantum factas esse interdum legimus, sed precum for-  
mulae non ita multae ad nos pervenerunt. *Moses* aliquie,  
qui eum in ducendo populo secuti sunt, deprecari apud  
Deum et intervenire pro suis consueverant. Aetate *Judi-  
cum* duplex praecipue in usu fuit precum genus, alterum,  
quo in angustias redacti Dei favorem et auxilium contra  
hostes implorabant, alterum, quo Deo pias agebant gra-  
tias. Apud *Davidem* preces cujuscunque generis et apud  
*Salomonem* pulcherrima invenimus exempla. *Prophetae*  
pro populo deprecari soliti sunt. Tum temporis uti se-  
quente aetate preces pro remissione peccatorum prae aliis  
in usu erant; sed preces etiam pro aegrotis, quin imo pro  
mortuis jam apud Hebraeos factas esse pariter vidimus et,  
quod minime negligendum, apud omnes fere Hebraeos, su-  
pientiores quoque, si *Salomonem* exceperis, precum  
exempla obvia habuimus, quibus iram Dei ac vindictam in  
hostes implorabant. — Ita *Christus* hanc precandi con-  
suetudinem accepit, sed, uti omnia puriora reddidit, hanc  
quoque doctrinam meliorem suis tradidit. Nihil habuit re-  
ligio-



ligiosius et antiquius, quam preces ad Deum fundere praceptoris divino quam maxime dignas. Non oblitus est Dei auxilium implorare et piis meditationibus operam dare. Saepissime precibus pro aliis ad Deum fusis suorum rem patri commendavit. Haud contentus damnasse aequalium morem perversum, Dei iram hostibus expetere, potius a Deo veniam petit peccatorum, quae hostes in eum commiserant. Precibus animum aptum reddidit ad mala perpetienda, neque minus pro beneficiis acceptis, praecipue ante ciborum usum, gratum Deo testatus est animum. — Quae ita *Apostoli* a Christo acceperant pie servarunt, in quorum scriptis exempla cujuscunque precum generis inveniri abunde supra probavi, in quibus eae, quas pro Christianorum salute fecerunt, ante omnia memorandae sunt. Precum formulas, quae in N. T. leguntur, multo priores esse iis, quae in V. T. inveniuntur, nemo qui accurate eas inspexit negabit.

Quod porro ad *externos precantium ritus* pertinet, signa quaedam semper in usu fuisse, quibus homines humilem animi statum, aut gratam piamque mentem, quae omnia a Deo exspectat ejusque arbitrio cuncta permittit, testari solebant, multa jam precum nomina biblica nobis indicarunt, sed haud exigua quoque locorum copia magis probavit. Primi jam precantes, supplices tendere manus, in faciem procumbere et similia observare soliti sunt. Nusquam Christus haec signa externa condemnavit, sed nullum tamen pretium iis tribuit, quanquam ipse oculos ad coelum tollere et in faciem procumbere consueverat. — Pari modo vocem *Amen* sub finem precibus addere jam in ecclesia prima solenne fuisse annotavimus. *Jejunia* precibus annexere Christi praecipue aequales, sed et priores aptissimum putabant et apostoli, quin imo Christus hunc morem non damnaverunt, sed nusquam tamen jejunium necessarium esse ad preces rite faciendas docent et Christum e contrario parvi hunc morem fecisse ex multis illucet locis. —

So-



Solebant porro Hebraei precibus *sacrificia* addere, quod multa nobis probarunt loca. Quanquam David ac prophetae sacrificia legumque externarum observationem minus necessariam putarent, quam bonam indolem mentemque recti sibi consciam, semper tamen in ea permanerunt opinione, apta esse sacrificia ad Deum nobis procliviorum reddendum. Christus vero et magis perspicue apostoli, praecipue Paulus, non opus esse sacrificiis docent, quanquam auctor epistolae ad Hebreos non dubitet Christum cum sacerdote summo comparare, qui vero eo ipso omnia caetera sacrificia inutilia reddiderit. — Praeceptores qui Christum antecesserant, Deum praecipue in *templo Hierosolymitano* colendum esse statuerant, Christus autem *quovis loco*, tranquillo praecipue et quieto, eum coli posse docuit, quamquam apostolos, Paulum nominatim in templo preces fecisse et Proseucham quoque intrasse legimus. — Christus porro superstitioni aequalium, qui *longis precibus* Deum commoveri posse putabant, et *ostentationi Phariseorum* se opposuit. Quin imo, uti Paulus docuit, ne verbis quidem semper opus est, pia enim mens suspiria nostra tacita, ex intimo pectore promanentia, grata Deo reddit. Damnanda autem consuetudo eorum, qui miro quodam errore decepti preces lingua peregrina factas sanctiores putant. — De *horis* denique precibus destinatis, neque in V., neque in N. T. locum inveni, qui praescriptum de ea re contineat, sed multa tamen loca nobis indicio erant, quasdam horas a Judaeis huic negotio imprimis aptas putatas esse. Christus tempore nocturno saepius precatus est, sed omnibus aliis quoque horis, ubicunque precibus opus sit, rite eas fieri posse suo exemplo docet. Apostoli interdum horis solitis, tertia, sexta et nona precati sunt, nusquam tamen docuerunt, necessarium esse hunc horarum delectum eoque preces Deo jucundiores redi, sed patrem coelestem postulare potius dicunt piam probamque mentem fiducia plenam. At decet etiam verum Christianum, uti Paulus docet,

O

docet,



docet, si presentibus testibus orat, ea sequi, quae aliis honesta et apta videntur, ut e. g. vir capite nudato et mulier operto publice precetur, et demum idem apostolus non improbavit Judaeorum et Paganorum usum se abstinendi a concubitu ad preces faciendas.

*Solum Deum adorandum esse perpetua sacrorum scriptorum erat opinio, sed non consentiebant quavis aetate de eo, quid a Deo sit expetendum et quo modo preces rite fundenda. Ex exemplis praecipue precum ac formulis intelligere potuimus, quaenam quovis tempore precum fuerit ratio, et haec iterum si inter se comparamus, nemo dubitabit Christo primas deferre, uti jam ex ea, quam supra suscepimus, exemplorum comparatione abunde patet. In antiquissimis scriptis nulla fere, aut pauca tamen de precibus invenimus praecpta, paululatim vero ad meliora progressos esse homines vidimus et in Salomonis scriptis optima quaecunque legimus, in quibus ea praecipue memoranda sunt, quae passim docet, preces nostras breves esse debere, nec inconsiderate ad Deum orandum, nec rerum affluentiam, sed alimenta necessaria ac ante omnia sapientiam expetendam esse. Praeterea non Salomo solum, sed prophetae etiam caeterique viri sapientes, proborum tantum preces Deo acceptas esse saepissime docent. At semper tamen meliora haec virorum doctorum tantum erant reperta, quae minime inter populum divulgari poterant; quare etiam inter Christi aequales, Phariseos praecipue, perveras de precibus sententias vulgatas fuisse vidimus. Jam, ut proprius ad Christum accedamus, summum ejus paeceptum eo continetur, Deum spiritum animo et mente adorandum esse. Inde quoad precum argumentum cognoscimus, ea tantum a Deo esse expetenda, quae a patre perfectissimo, sanctissimo ac potentissimo exspectari possunt, et ita quidem, ut verba faciamus animo pio, sincero ac humili, omnia divinae providentiae permittenti. Pulcherrime cum his convenient, quae formula apostolis pro exemplo precum con-*



concipiendarum data, suis ipsius precibus et multis aliis praecepsis docuit.

Quae hoc modo Christus docuerat, apostoli pro suo quisque ingenio et necessitatibus ac captui eorum, ad quos scripsit epistolam, magis exornarunt eorumque cura omnibus innotuerunt Christianis, ut aditus jam pateret ad meliores de precibus opiniones. Paulus praecepit puriores de precum indole cognitiones propagare studuit, sed nulla fere hac de re inter apostolos est discrepantia. Magnum hominis a Dei imperio pendentis ornamentum, in precibus fundendis positum, huic negotio quam maximo honesto ac digno inesse docent. Quare haec fere sunt, quae religio, quam profitemur, de precum indole docet.

I. Ante omnia hominem precantem, seu privatum, seu publice, id spectare oportet, Deum quovis respectu *perfectissimum* (sensu morali et sensu metaphysico, ut nostri philosophi dicere solent,) esse, a quo ipse pendeat; ideoque

- 1) preces pie ac religiose, animo unice ad Deum verso, facienda sunt;
- 2) nec aliud quidquam a Deo petendum est, quam quod a tali summo rerum moderatore exspectari potest, (cujus Christus et apostoli multa attulerunt exempla, quae, cum singula explicaremus, vidimus) et
- 3) omnia demum providentiae divinae sunt permittenda et animo dimisso orandum.

II. Sed idem Deus est *benignissimus hominum pater*, qui omnia, quibus indigemus, novit; ideoque

- 1) animo spei pleno et ita ut filiis convenit, quibus pater dilectissimus non est timendus, sed potius amandus, precari nos oportet,
- 2) nec verborum copia opus est, sed tacita sufficiunt suspiria, quando quid petendum sit nescimus.

III. Preces igitur *necessariae* et quam maxime *utiles* sunt, non vero Deum juvat, nos verba ad eum facere; sed ad

O 2 nostra



nostra commoda multum interest rite a nobis precari. Quare hominem Christianum Dei semper memorem esse precesque iterare nec intermittere piam hanc consuetudinem decet.

IV) Cum vero denique *conjuncti cum aliis vivamus hominibus, eorum quoque in precibus fundendis ratio habenda est*, non enim decet virum Christianum suum tantum commodum spectare. Preces mutuae amoris vinculum esse oportet, ideoque pro aliorum quoque salute praecepit praeceptorum ac magistratum, sed ne exteris quidem et hostibus exclusis, apud Deum interveniendum est. In precibus publicis communis utilitatis et aedificationis, ut ita dicam, ratio habenda est, atqui lingua peregrina non utendum, nisi interpretationem simul addamus.

Talibus precibus magnam vim et auctoritatem religionis, quam profitemur, auctores tribuerunt, et restat hac de re varias sacrorum scriptorum opiniones inter se comparare.

§. 15. *Sacrorum scriptorum de precum efficacia sententiae inter se comparatae.*

Jam inde ab antiquissimis temporibus homines multa precibus effici posse putabant. Magnam semper sacri scriptores precibus piorum hominum tribuerunt vim, quod abunde patet ex exemplis a nobis supra laudatis. *Patriarchae* multa jam precibus a Deo impetrasse dicuntur, et *Abraham* praecepit precibus suis feminas steriles fœcundas reddidisse legimus, quare luce clarius est scriptorem horum librorum magnam precibus tribuisse vim. Pari modo *Moses* sibi persuasum habebat, Deum annuere precibus ab ipso factis et magna a populo putata est ejus apud *Jehovam* auctoritas, cuius rei multa loca indicio nobis erant. Similiter prorsus se habebat cum *Josua*, *Judicibus*, *David*, *Salomon* ac *Prophetis*, quos Deo invocato miracula patrasse ferunt, et quorum apud Deum deprecationes summi momenti esse putabant aequales. Saepissime sacri scriptores Hebraeorum preces a Deo exaudiri ajunt, nusquam tamen

le-



legimus, omnes a Deo impleri, sed a probis tantum hominibus factae, quod jam supra diximus, gratae ei esse perhibentur et malorum hominum vota saepissime reprehenduntur. Salomo exterorum quoque preces a Deo exaudiri petit. Sed uti paululatim crevit superstitione, major quoque precibus tributa est vis et efficacia, quod exempla, quae ex seniori aetate et libris apokryphis praesertim supra exposuimus, probant. Ante omnia preces pro remissione peccatorum in magna esse coeperunt auctoritate. Preces ab angelis ad Deum portari et malos daemones earum ope vinci posse, Tobias, seu hujus libri scriptor, putabat. Magnam imprimis *Sirachida* esse perhibet efficaciam precum a pauperis et viduis fusarum et vim quandam invocationi Dei inesse putat ad recuperandam sanitatem, quanquam medicum tamen arcessiri jubet nec solis ergo precibus efficaciam tribuit.

*Christum* quoque et *Apostolos* magnam putasse precum auctoritatem, nullo modo negari potest. Persuasum sibi habebat Christus, Deum ei adesse ac ejus precibus annuere, et *Apostolos*, inter quos *Johannes* saepissime de hac re loquitur, minime ab hac opinione recessisse vidimus. *Jacobus* aequo ac *Sirachus* vim quandam tribuit precibus ad recuperandam sanitatem et *Apocalypseos auctor* se accommodasse saltem videtur ad *Tobiae* opinionem preces ab angelis ad Deum perferriri. Quod magis est, *Christum* quoque precibus cum jejunio conjunctis vim quandam tribuisse vidimus ad sanandos morbos quam maxime inveteratos, quorum causas Judaei malos daemones putabant. Sed quaeritur nunc, an religionis nostrae auctores omnibus plane precibus hanc vim tribuerint, an omnia, seu quaedam tantum genera a Deo exaudiri docuerint.

Ad hanc quaestionem ut accurate, sed paucis tamen respondeamus et, quae disquisitione nostra invenisse putamus, modeste afferamus, duplex locorum huc pertinentium genus distingui debet, alterum, quod ad *apostolos* spectat, alterum, quod ad omnes religionis christianaee sectatores pertinet.

I.



I. Quod igitur *ad apostolos* attinet, multa a Christo dicta in evangeliis obvia habuimus, quibus praceptor divinus iis promisit, fore ut Deus eorum precibus annueret. Patet vero ex interpretatione horum locorum, spectare ea tantum ad munus apostolis datum. Preces apostolorum *Christo nomine fusae*, i. e. quae ad propagandam religionem christianam spectant, secundum Christi doctrinam *omnes* a Deo exaudiuntur, quare apostolos quoque semper hanc foville vidimus opinionem et miracula edita divino auxilio per preces impetrato tribuisse. Minime vero hoc Christi promissum ad *alia quoque apostolorum petita* spectat. Paulus enim ipse docet, preces enixas, quibus Deum pro avertendo malo (stimulo carni infixo) invocaverit, non esse exauditas. Ne omnes itaque apostolorum quidem preces ad fidem sacrae scripturae Deus ratae esse jussit.

II. Quod vero ad *alios religionis christianaee confessores* attinet, eorum quoque precibus haud parva tribuitur efficacia et minime negari potest Christum et apostolos interdum ita locutas esse, ut docuisse videri possint, omnes preces ad Deum fusas exaudiri. Sed his locis acuratius inspectis et ex contextu et ingenio omnis doctrinae christianaee interpretatis, luce clarius patet, *non omnia a quovis homine precibus a Deo impetrari posse*. Multis enim locis hoc de precum vi promissum limitatur.

- 1) Saepius enim precantes homines probos esse debere docetur, quo sperare possint, fore, ut Deus preces eorum exaudiat. 1 Joh. III, 22. etc.
- 2) Aliis locis voluntate divina congrua tantum a Deo expeti posse docetur, et simul additur fiducia opus esse in Deum posita, ad impetranda quae precibus petimus, 1 Joh. V, 14. Jacob 1, 5-7, IV, 2. 3. Heb. IV, 16. etc.
- 3) Aliis denique locis contextus indicat, quaenam precum genera fint intelligenda, ut e. g. Matth. VI, 7. Luc. XI, 5-13., ubi de sapientia et rebus ad virtutem et ani-



animum spectantibus tantum sermo est, quanquam si locum a proxime antecedentibus sejunxeris, de omnibus precibus Christum locutum esse videtur.

Minime ideo Christus et apostoli omnes preces a Deo exaudiri docent, sed eas tantum impleri, quae recte, animo pio ac demissō, a probis hominibus fiunt, et quibus bona cum Dei voluntate congrua expetuntur. Nihilominus preces quam maxime *utiles sunt* ad animum tranquillorem reddendum, fiduciam firmandam ac virtutem stabiliendam, quod sacros scriptores multis docuisse vidimus locis. Nec opus est Christianum esse eum, cuius preces a Deo exaudiri possint, modo rite precetur, Deum enim Cornelii quoque nondum ad religionem christianam perducti preces benigne accepisse, Lucas nobis narrat.

Quae denique theologi *de Spiritu sancti intercessione* et *Christo deprecatore* fabulati sunt, mera haec esse demonstravimus commentitia, ex falsa locorum quorundam difficultiorum interpretatione orta; summa enim apostolorum de precibus doctrina huc potius spectat: nobis per Christum Deo reconciliatis non timendum esse summum numen, sed nos animo confidentiae pleno ad illud accedere posse, quaecunque bona de patre benignissimo sperantes, quem jam sacrificiis placari non amplius necesse sit, et apud quem melior Christiani hominis indoles vices nostras agat, si calamitatibus oppressi verba proferre non possimus.

Haec brevis est eorum repetitio, quae disquisitione nostra exegetico-historica in libris biblicis de precibus inventimus. Alia saepius viros doctos in sacris scriptis inventisse bene scio, sed non potui a me impetrare, ut iis affermatur. Caeterum opus perfectum et omnibus numeris absolutum conscripsisse minime mihi arrogo et satis contentus ero, si aliquam tantum laudalibem operam in re permagni fane momenti posuisse lectoribus videbor.



### *Corrigenda.*

- Pag. 2. lin. 9 in nota leg. soleat.  
— 3 — penult. — δεῖσθαι.  
— 9 — 27 leg. ἐντυγχάνειν.  
— 19 — 8 del. sen —  
— 31 — 19 leg. qui.  
— 42 — 14 — quos.  
— 43 — 29 — excidii.  
— 51 — 16 — patent.  
— 63 — 7 — expeterent.  
— — 28 — enim.  
— 69 — 6 — Ad.  
— 78 — 16 — accipiendam.

Errata quaedam minora, e. g. p. 5 l. 8, p. 8 l. 14, p. 15 l. 1,  
p. 17 l. penult. in nota, p. 24 l. 33, p. 26 l. 16, p. 27 l. u., p. 29 l. 6,  
p. 32 l. 21, p. 40 l. 1, p. 42 l. 4. l. 15, p. 43 l. 19, p. 57 l. 13,  
p. 61 l. 5 l. 21, p. 70 l. 16, p. 80 l. 9, aliaque, praecipue in accentis  
ac interpunctione, lector ipse inveniet et animo benevolo ex-  
culabit.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:3-33809/fragment/page=0117



Ig 6057

ULB Halle  
005 432 839


3



Re. 6







RIDERICI REHM  
NEVKIRCHO - HASSI

# RIA PRECVM BIBLICA

IN  
SPLICVM CERTAMEN CIVIVM  
GEORGIAE AVGVSTAE  
SCRIPTA

ET  
LISSIMO THEOLOGORVM ORDINE  
PRAEMIO REGIO ORNATA.

λλοὶ χρέων ζητεῦντες ἐφευρίσκεστιν ἀμεινον.

XENOPHONES.

GOTTINGAE,  
ARIA VANDENHOECKIO - RVPRECHTIANA.  
MDCCXIV.